PROSPERITATIS GERMANIÆ

QVARTA PARS

In quâ multa præclara, utilia, Patriæque commodo inſervientia arcana revelantur, & efficacium, atque ex Metallis depromptorum, uſuique Medico deſtinatorum Condimentorum, ut & aurearum Potionum confectiones & præparationes variæ docentur.

Cum adjuncto Tractatu manifeſtante Laboratorium meum, in quo admiranda, unicuique utiliſſima, hactenus incognita ſecreta in Humani Generis utilitatem & commodum publicum docebuntur, & demonſtrabuntur.

In honorem Dei, & Patriæ emolumentum opus conſcriptum & in lucem editum

A


JOHANNE RUDOLPHO GLAUBERO.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JANSSONIUM,
CIↃ IↃC LIX.


0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

AD
Benevolum Lectorem
PRÆFATIO.



Vanquam ante annum in Præfatione opusculi, quod de Salium Naturâ tractans publici juris feci, præter salem etiam jusculum aut embamma cum sacchato & condimentis me adjuncturum cæteris cibis mensæ imponendis pollicitus sum; tantum mihi tamen artium bonorum studiosi temporis concedere neutiquam voluerunt, ut ejusmodi condimenta pararem, & parata mensæ apponerem, sed illud solum, efflagitârunt, ut casei, ac butyri mensæ apponendorum memoriam non deponerem. Quorum postulationi ut satisfaciam, in proclivi quidem mihi esse fateor, & nihil aliud obstare video, nisi solam angustiam

temporis, quod aliis negotiis magis necessariis impendere cogor. Veruntamen quia haud exiguæ laudi ducitur beneficia sua plurimis in locis diffundendo multis benefacere, operæpretium putavi, omissis aliis rebus promissa condimenta cum Butyro & caseo meis præmissis cibis subjungere, eâ tamen brevitate, quàm fieri commodè poterit. Si prolixius temporis intervallum mihi indultum fuisset, sacchabo majorem puritatem, & gratiorem condimentis saporem conciliâssem, quod quò minus fieri possit, temporis celeritas prohibet. Præterea quoniam Prosperitatis Germaniæ quartam partem, cum optimorum Medicamentorum Metallicorum detectione promisi, ut promissis starem, consultum mihi visum fuit efficacissima hæc condimenta mea sub titulo Quartæ Partis Prosperitatis Germaniæ in lucem emittere, idque eam magis ob causam, quod ad alia describenda, & denudanda

danda sufficiens tempus mihi non suppetierit.

Quò autem viliore, & contemptiore vestitu præsentia hæc in conspectum prodeunt, eò majores vires, & nobiliores virtutes sordido suo palliolo occultant. In animum quidem induxeram Quartam hanc partem diutius mecum retinere, ut commodiore tempore in lucem emissa majoris momenti secretis ornatior in publico se spectandam exhiberet. Inter ea secreta eminet Auri & Argenti concentratio, atque reductio in ejusmodi formam & figuram, quæ ab hostibus aliquando contra spem ingruentibus, (quod tamen Deus clementer à nobis avertat,) neutiquam agnosci queat, atque hoc pacto efficere possit, ut corpora ejusmodi incognitâ veste occultata nec erepturi, nec etiam sint ablaturi.

Quoniam autem in præcedente Tertia

Parte indicium feci, quâ ratione in omnibus totius Germaniæ locis mearum Inventionum ope Auri, & Argenti ingentes thesauri comparatu faciles futuri sint, nullum mihi dubium est, nec etiam aliter fieri potest, quin seduli Patresfamiliâs mihi morem sint gesturi, & effectui plurima daturi, præcipuè cum ipsis consilium & operam meam, quantum in me situm fuerit, præstandam obtulerim. Si modo tantorum thesaurorum investigatio nimis securè & negligenter tractata fuerit, extra omnem dubitationis aleam profectò positum est, Patriam nostram tanto medio, & tantis opibus penitus invictam redditum iri. Ægyptios historiæ testantur Metalla emendandi peritiâ tantis divitiis, tantâque potentiâ potitos fuisse, ut Romanæ Monarchiæ jugum à cervicibus suis averterint, usque ad illud tempus, quo, libris artem continentibus ab Imperatore Diocletiano *combustis,*

bustis, Romano Imperio se submittere coacti sunt. Nam tum temporis libros imprimendi ars illa nobilissima incognita fuit ipsis scientias suas membranis magno labore, & multis sumptibus inscribere solitis, ac proculdubio non affluentibus insigni copiâ librorum talium, quos faciliore negotio Romani conquirere, & Vulcano tradere potuerunt. Etenim quod semel literis mandatum est, typis exscribi, & quasi in infinitum multiplicari potest ab ipsa typographiâ uno die typis plus exscribente, quàm maxima scribarum copia scriptura esset. Proinde quis tantam librorum multitudinem ex omnibus totius alicujus Regionis locis congereret, ac conquireret, ut omnia exemplaria, sicuti à Romanis factum est, conquisita his temporibus nostris cumburendo deleret, & in nihilum redigeret? Unum hîc dico, si compertum mihi fuerit, ea, quæ hactenus in lucem à me missa

ſunt, non modò accepta fore, ſed etiam effectui datum iri, mihi calcar additum iri, ut ad plura & majora præmiſſis ſubjungenda inciter. Interim præſentia æqui bonique conſulantur, & præmiſſa patienter expectentur.



PRO-

PROSPERITATIS GERMANIÆ

QUARTA PARS.

De Condimenti nomine, & quid eodem intelligendum sit.



CIBIS meis hactenus mensæ appositis embamma & condimentum bonum subjungere pollicitus sum; qui cum admodum præstantibus, & planè non vulgaribus scientiis constent, omninò necesse est, ut & condimenta iis respondeant, & perinde ac ipsi cibi, palatum saporis sui suavitate afficiant. Quemadmodum igitur in Magnatum conviviis condimenta non priùs apponuntur, quam convivæ carnibus & piscibus se saturaverint, & famem sedaverint, utpote quibus ad vinum majore delectatione bibendum quasi vehicula exhibentur ejusmodi condimenta, quæ ut plurimum omnis generis fructibus, seminibus, & aromatibus saccharo suaviorem saporem conciliant:

Ità etiam & mihi talia condimenta in hoc meo convivio conficienti, & apponenti id negotii solùm datur, ut de optimo saccharo, & aromatibus pretiosis mihi prospiciam, quæ nonnisi ex Me-

tallis deprompta se offerunt, Saturno Saccharum, & Sole ac Lunâ suavissimum aroma suppeditantibus.

Priusquam verò ipsa condimenta producam, præmittendum cum Butyro & Caseo suave jusculum sive embamma censui, si forsan convivarum uni aut alteri assæ carnis frustum eodem imbuere, aut etiam Butyrum & caseum meum gustare liberet, ut majore delectamento condimentorum sequuturorum suavitatem percipere posset.

Ac licet hîc Metallica quædam condimenta præstantia & efficacia exhibere in animum induxerim, non potui tamen intermittere, quin iisdem præmitterem indicium significans, quomodo Salis ope & bona ex Vegetabilibus jusculа ac embammata Animalium Caseo, & Butyro emendando inservientia parari queant, ut ità meus De Natura Salium Tractatus nullo penitus defectu laboret, & unicuique pateat, quàm nobilissima & præstantissima creatura sit Sal, qui tàm præstanti emendatione Animalia, Vegetabilia, & Mineralia ad longè digniorem gradum evehere potest.

Sal & Aurum optimum condimentum esse vulgari proverbio fertur, & verissimè dicitur. Inter omnia enim condimenta & embammata cibis apposita Sal & Acetum primas tenet, quorum hoc ut plurimum ex vino, fructibus, cerevisia & melle conficitur. Si verò Sal in suavem & acidum Spiritum destillando & rectificando

convertatur, ſuave & forte evadit Acetum, cœteris cunctis præferendum, adeò ut Aceto ex vino, cerevisiâ melle, & fructibus arboreis planè non ſit opus. Suavium igitur condimentorum, & embammatum ad carnem & piſces neceſſariorum, & ſapidi caſei, ac Butyri ſtudioſo eadem Salis auxilio parandi viam monſtrabimus, quâ ſibi ipſi pro lubitu varia condimenta ad uſum culinarium conficere poſſit. Hàc monſtratâ ad Metallicorum condimentorum deſcriptionem progrediemur.

Boni, ac carnibus & piſcibus convenientis condimenti, aut embammatis cupidus præter benè paratum & rectificatum Salis Spiritum nihil aptius aut magis idoneum inveniet, quem ſaccharo, aut quibuſcunque herbis & aromatibus voluerit, pro arbitrio & palato ſuo parare poterit. Exempli gratiâ: Quemadmodum aliàs ex vino, aut aceto, pipere, & cæteris aromatibus gratiſſima juſcula confici ſolent, aut ipſis carnibus & piſcibus aſſatis, aut elixis adjungenda, affundenda, aut in aliis patellis apponenda, ut omnes ejuſmodi cibi ſapore gratiore palatum afficere queant: Ità & Salis Spiritu idem præſtari poteſt, & quidem longè commodius, & melius, quam ſi vinum, aut acetum ad ejus grati ſaporis condimenta conficienda adhibeantur. De meo Spiritu Salis hîc loquor, qui ex præſcripto meo paratus ſummâ ſuavitate pollet, non verò de illo, qui in Pharmacopoliis, & aliis ejuſmodi tabernis mer-

catoriis venalis prostans ut plurimum malè est paratus ac nullâ rectificatione purgatus ingrato, acri, & austero suo sapore vomitus excitat, si in stomachum venerit. Colore etiam flavus acri constrictione linguam contrahit, cum tamen aquâ fontanâ clarior, & pellucidior esse, ac pomorum, uvarum, aut Limonum succos aciditate suä suavi superare deberet. Ejusmodi succo Salis suavi instructo mihi non opus est vino, aceto, aut cæteris uvarum, Limonum, uvarum crisparum, acetosæ, similiumque succis acidis, quibus saporem suavem & gratum carnibus aut piscibus conciliem, cum hoc bono Salis Spiritu longè melius, & commodius, quam vino aut aceto effici queat. Bono, inquam, & vero Salis Spiritu secundum meum, quem præscripsi, modum parato, non autem illo vulgari, qui in Pharmacopolarum, & Mercatorum officinis venditur, plerumque malè paratus, ingratum saporem obtinens, acer, colore flavus, linguam constringens, & vomitum excitans, si haustus fuerit; cum tamen aquâ fontanâ limpidior & clarior esse, ac pomorum, uvarum, & Limonum succos suavi suâ aciditate superare deberet. Cum igitur mihi tam purus & suavis Succus Salis suppetit, non est cur de vini, aceti, uvarum, uvarum crisparum, oxalidis, aut similium succis laborem, ut carnes & pisces Sapidos; & suaves reddam; Omnium enim illorum vices obit Spiritus ille Salis, nulli penitus, ut cœteri succi, obnoxius corruptioni, sed suam

ſuam eſſentiam ſuavem ſine omni corruptione conſervat. Solus tamen in uſum ſi adhibendus, parum aquæ, aut Sacchari admiſcendum erit, ut ipſius aciditas aliquantum temperetur, hac ratione loco embammatis carnibus aut piſcibus ſive aſſis, ſive elixis adjungendi. Qui virides herbas ſaporis alterandi cauſâ addere voluerit, ut ſunt petroſelinum, naſturtium hortenſe, piperitis, & ſimiles, easdem contundendo, aut concidendo comminuat & Spiritu Salis aquâ temperato humectet oportet, ut frigidi embammatis loco carnibus & piſcibus adjungat. Sin verò embamma ejuſmodi piſcibus, & carnibus calidum eſt affundendum butyrum adhibeatur neceſſe eſt, & quidem ſequenti ratione.

Aquam puram & mundam Spiritu Salis bono redde aliquanto acidiorem fortione Aceto vini, adde pro arbitrio butyrum ſale conditum, aut eodem liberum, tale item aroma, quod præter piper, zinziber, nucem myriſticam, ejuſdemque flores addere libet, ut & ſalem, ſi opus ſit; immitte in ollulam ex figulina terra fictam, & vitro obductam, non verò ferream aut cupream, huic operationi plane ineptam; hanc paucis carbonibus impoſitam ſenſim calefac, ut butyrum liqueſcat, quod cochleari ligneo ſine intermiſſione commotum, & liquefactum Salis acetum ſibi aſſociat, & juſculum evadit craſſius, quod carnibus aut piſcibus prius ſale debitè coctis affunditur. Virides autem herbæ, ut cerefolium, petroſeli-

trofelinum, nasturtium, piperitis, ac similes si associandæ sunt, contusæ aut concisæ jusculo in ollula jam calefacto adjungi, movendo probè misceri, & mox piscibus aut carnibus affundi possunt, ut herbæ & saporem, & viriditatem suam retineant, atque ità & oculos aspectu grato, & palatum sapore suavi afficiant, quod non facturæ essent, si cum embammate multum ebullirent, utpote & subtilem suum saporem amissuræ, & viridem colorem perdituræ. Porrò hic etiam cavendum, ne jusculum illud nimis diu super carbones relinquatur, & acetum à Butyro se iterum segreget, quod ne fiat, unus, duo, aut tres ovorum vitelli jusculo miscendi, qui probè cum ipso moti, illud crassius & aptius reddunt, ut piscibus, aut carnibus affusum panc melius ex patinâ eximi queat.

Talia juscula tàm elixis, quàm assis piscibus gratissimum saporem conciliant, quibus, si aliquid sacchari accesserit, carnibus forsan non inepta essent. Piscibus tamen acida juscula magis conveniunt. Hoc modo cuivis integrum est parare sibi juscula, quæ voluerit, & eadem quibusvis herbis, aut aromatibus palato suo suaviora reddere, ideoque nec vino, nec aceto, nec aliis rebus acidis opus erit. Si modo Spiritus Salis purus, & mundus in promptu fuerit, additione quarumvis herbarum, & quorumvis aromatum pro lubitu quodvis jus pares licet, & quidem longè suavius & gratius, quam si vini aut cerevisiæ aceto

aceto non ubique parabili confectum esset. Spiritus Salis autem ubique parari & haberi potest, eo nomine cœteris omnibns condimentis meritò præferendus.

Cum verò hyberno tempore virides herbæ non suppetant, earum vices obire possunt piperitis radices contusæ, aut Sinapi farina, Saccharo, & Spiritu Salis in calida & frigida jufcula redacta. Nemo velim adeò audax sit, ut hæc mea jusćula contemptui ducat, antequam eadem gustaverit. Nullum enim mihi dubium est, si semel tantum suavitatem eorum gustu perceperit, quin & eadem cœteris prælaturus, & Salis aceto debitum suum honorem exhibiturus sit.

Sed ut & ex Salis promptuario experimentum depromptum exhibeam iis, qui boni Butyri & Casei sapore delectantur, ad ea attendant, quæ hîc sequuntur. Si cupidus es parandi caseum vaccinum durabilem, & omnes boni casei notas habentem, nimium ut gravis, compactus, densus, oculis, foraminibus putrescentibus, muco, & fœtore careat, sequenti operatione voti compos eris.

Cape Lactis vaccini, ovilli, aut caprilli, aut unius ex his, quod in promptu habes, tantùm quantum vis, aut satis est (Caprillum inter hæc primas tenet, ovillum succedit, & vaccinum bonitate & præstantiá prioribus duobus cedit) Calefac ad ignem, & vasi ligneo infunde, (NB. Ferrea, & cuprea vasa hîc non admittuntur) & Spiritus

ritus Salis affusione lac in coagulum redige: Spiritus autem hujus cochleare unum, Lactis decem mensuris coagulandis sufficiunt. Lac & Spiritum Salis ligneo cochleari probè agitatum, & coagulatum cribris setaceis aut puris linteis immitte, ut serum lactis defluat, & segregetur; lintea colligata ponderibus & rebus gravibus onera, & omnem humiditatem ligneam exprime. Caseum ex linteis exime, & vasis ligneis immissum in parva frustula aut micas comminue, quem ita comminutum sale condies, & puro illo Spiritu Salis consperges, ac cochleari ligneo, aut puris manibus probè agitabis & miscebis. His ita mistis imple tua vasa, aut ollas casearias, majores & minores, materiamque arctè comprimendo in illis condensa, ut alias casei condensari solent. Hæc calido aëri exposita, & exsiccata compactos, & durabiles exhibet caseos, Parmesanis, aut Parmensibus istis non absimiles oculis, fœtidis & putridis foraminibus, mucilagine, & similibus Caseorum vulgarium vitiis carentes, nec unquam iisdem obnoxios.

Ratio est, quia prima coagulatio seu congelatio lactis puri & ab omni putrefactione conservantis Spiritus Salis adjumento, non autem fœtidi, & putridi stomachi vitulini, à quo nonnisi putredo & vermes oriantur necesse est, ope perficitur.

Deinde Spiritus Salis post seri lactis expressionem aspersus, & cum Sale adjecto materiæ casea-

riæ

riæ admixtus, omni putrefactioni in caseis existere solitæ maximè resistit, caseos condensat, & fermentationem caseos dilatando spongiosos & porosos efficientem impedit, ut ità condensentur, & ab omni putredine liberi & tuti maneant. Caseus itaque ad hanc perfectionem deductus meritò inter omnes excellit, & versiculorum illorum antiquorum laude extollitur:

Argus, non Largus, non Magdalena, Mathuslem,
Habacuc, & Lazarus, Caseus ille bonus.

Id est, non debet esse Argus oculatus, nec tenax ut Largus, nec pilosus, & lachrymans, ut Magdalena, non canus ut Mathusalem, non levis, ut Habacuc, non plenus fœtidorum foraminum, & putrium ulcerum, ut Lazarus; quibns vitiis si careat caseus, dignus est qui bonitatis titulo gaudeat, sicut illi sunt, qui Spiritus Salis adjumento conficiuntur. Talem tibi confice, & periculum fac, num tibi præ cœteris omnibus sapore suo suavi non satisfacturus sit.

Nunquam tales casei corrumpuntur; tenaces, olenti, foraminosi, & verminosi nunquam evadunt. Spiritus Salis in casei ovilli, aut vaccini alicujus foramina infusus omnes vermes aut necat, aut cogit, ut exiliendo evanescant; foramina contrahit, & malos in bonos caseos mutat, quod ipse expertus sum.

Sic didicisti, amice Lector, quo pacto juscculum ad pisces & Carnes aptum, ac caseum bonum & durabilem conficias: restat ut ex sequen-

quentibus Butyrum quoque bonum conficere addiſcas.

Si Spiritus Salis ope deſideras conficere Butyrum, quod pulchrum, purum, & flavum ſit, optimum ſaporem habeat, & non facilè mucorem, aut rancorem contrahat, ſequente operatione id conſequeris. De bono lacte vaccino tempori cremorem deme, eumque in Butyrum coge, antequam muceſcat, aut ſaporem ingratiorem acquirat; more ſolito ſerum ſegrega, & butyrum vaſi ligneo impoſitum purâ & frigidâ aquâ ſalis tamdiu lava, donec nullum ſerum lactis amplius reſtet, & ſalis illa aqua adeo clara inde redeat, & defluat, quàm clara affuſa eſt, ac butyrum ſatis mundum appareat, quod adhuc ſemel eluendum, ut ſequitur. In puro & rectificato Spiritu Salis frigido tantum Salis ſolve, quantum ille admiſerit: Hoc de novo elue butyrum tuum adhuc aliquoties, & quidem probe illud cum Spiritu agitando, qui tali operatione reſiduum caſeum rancoris cauſam, & originem, quem vulgaris aqua ſalſa removere non potuit, conſumet. Quo facto more ſolito condiendum eſt Sale communi butyrum, quod diu in debitâ ſuâ bonitate conſtans permanebit. Ad hanc operationem verò craſſior ille Sal marinus aptior cenſetur, qui parum igne candefactus alborem egregium nanciſcitur, in farinam ſe redigi facilius patitur, ac bonitate illi præſtat, qui in ferreis, aut plumbeis vaſis aut ahenis excoquitur.

(NB. Qui

(NB. Qui verò purum ejuſmodi Salem, teſſerarum figuram Hexahedricam obtinentem, qualis in meo laboratorio paratur; adipiſci poteſt, eodem tanquam longè puriore uti poterit) Vas ipſum, cui butyrum paratum & mundatum eo modo quo diximus, comm[illegible]endum eſt, ita paretur oportet. Novum dolium quernum non vulgari, ſed forti aquâ ſalsâ ita macerari debet, ut ſalem probè imbibat, in quo butyrum dicto modo elotum adeò arctè comprimendum & condenſandum eſt, ut nullum foramen, aut nullus hiatus alicubi appareat, duos tamen digitos ſpatio in dolii ſuprema extremitate relicto, quod Spiritu Salis, qui bonum & purum ſalem diſſolutum imbibit, complendum eſt, ut butyrum probè tegatur, & omni aëre excluſo diu pulchrum & ſapidum conſervetur Hoc menſæ imponendum prius cochleari puro & ligneo, non ferreo, ex dolio eximas, & prius aquâ purâ & limpidâ eluas, ſi nolis, ut Spiritus Salis aciditatem retineat.

En meliorem adhuc modum. Prunis impoſitum recens butyrum ſenſim liqueſcit & multo caſeo ſpumante obducitur, ſpumaque illa cochleari apto removetur. Poſtquam omni ſpummâ remotâ olei clari, & limpidi inſtar in ollâ conſiſtit, ex eadem ſenſim ità in aliud vas effundendum eſt, ut ſordes in fundo, in quo reſederunt, maneant. Butyrum frigidum ceræ flavo ſuo colore neutiquam cedit, ſed mollius, quam par eſt, exiſtit, ideo Salis Spiritu novo Sale imprægnato tempore

debito agitandum, ut vulgaris butyri duritiem acquirens Sale condiatur, atque ità eodem vulgari longè melius doliis immittatur, & ad uſum ſervetur. Licet enim purgatio hæc igne peracta ipſi omnem ſuum caſeum, a quo duritiem habet, ademerit, Spiritus Salis tamen eidem longè aliam & meliorem confert, & facit, ut bonitate & conſtantiâ cœteris omnibus præſtet.

Hæc ex culina mea depromere,& apponere volui, nempè boni & exquiſiti ſaporis juſculum, caſeum, & butyrum, quæ ſi alicujus palato minus ſatisfecerint; is velim eorum uſu ſuperſedeat. Non ſine momenti alicujus causâ hæc feci, quæ viſorum & ſubſannatorum judiciis perverſis proculdubio obnoxia futura eſſe probè ſcio, forſan dicturis; quas mulierum nugas, & quos puerorum luſus producit Glauberus, muliebri ludibrio ſe exponens, & fœminino ſexui ſe ridendum propinans, qui dicent, quod butyrum, & caſeum conficere docens in muliebrem meſſem ſuam falcem immiſerit. Dicant, quicquid velint; Præter anſerinum ſtridorem anſeres nihil effutire ſolent. Nihil aliud in animum induxeram, quam ut hic tractatus non eſſet niſi merum opus mulierum, & puerorum luſus, ignorantibus plus boni revelaturus quam omnium perverſâ eruditione imbutorum authorum ſcripta ſubtilitate ſuâ nimiâ cujuſvis captum ſuperantia.

Quæ ſub hâc caſeorum confectione & culinariis operibus doceo, & revelo, haud quivis facilè

affe-

aſſequetur, nec ut aſſequatur, magni etiam intereſt; Deus aperiet iis oculos, quos tantis donis dignos judicabit: Superbam verò & impiam hominum turbam eadem celabit.

Abſolutâ hac τυροποιίᾳ & βουτυροποιίᾳ in Nomine Domini aliud opus mulierum, aliumque luſum puerorum exordior, qui Culinarius labor & quæ τυροποιία, & βουτυροποιία mere eſt metallica & hactenus deſcriptæ præſtantiâ, & nobilitate multò antecellit, licet ejuſdem illius Salis auxilio peragatur. Nam ſine Sale nullum Metallum imperfectum emendari realiter poteſt, teſtante ipſius artis titulo uſitato, qui Alchymiæ nomine notus, nil niſi Salis fuſionem denotat, quid autem quivis Sal hic intelligendus ſit, non dico, ſed illud duntaxat teſtor, quod Inferiorum metallorum tranſmutationes per Salem fieri debeant.

Quoniam igitur hic meus Tractatus priori de Solium Naturâ, ut auctarium quoddam, accedit, omninò etiam neceſſarium eſt, ut ad hæc mea condimenta apparanda, fructuum & ſacchari loco, Salia & Metalla adhibeam.

Et cum condimentorum ex ſaccharo confectiones non ad ſequiorem duntaxat ſexum, verùm etiam ad potiorem pertineant, atque ipſa operatio tamen nil niſi mera lotio ſit, ac coctio, opuſque verè mulierum, etiam ſub nomine Operis Muliebris, & Luſus Puerilis eam hîc in ſcenam deſcriptione noſtrâ producemus.

Si Mulierum opus rectè inſpiciamus, & noſtrum

ſtrum Metallicum laborem cum illo comparemus, maxima utriuſque convenientia ſe nobis offeret. Mulierum eſt coquere & lavare; Coctu-ræ ollas igni apponunt; Carnem lotam ſale & aromatibus conſpergunt, eamque in ollis affuſâ aquâ, vino, aut aceto coquunt, donec miteſcat, & edendo aptum evadat. Ignem ad coctionem neceſſarium appoſitione lignorum alunt, ut in ardore conſervato nihil impedimento eſſe queat; Atque hunc in coquendo modum & ordinem Muliebris Sexus obſervat. In linteorum & veſtimentorum ſordibus eluendis calidam aquam affundendo mulieres primò craſſiores ſordes removent; ad reliquas tollendas aut lixivium acre adhibent, aut ſmegma, aut etiam utrumque ſimul, ut omnes maculas, & ſordes eluant: Smegma verò & lixivium rurſus aquâ purâ & calidâ eluunt: Odorem à Smegmate reſiduum, qui nulli elutioni, quæcunque etiam, & quotieſcunque repetita fuerit, cedere ſolet, tollendi causâ in aprico campo linteamina ſua purá aquâ conſpergunt, & humectant, iiſque à Sole, aëre, & vento exſiccatis toties laborem iterant, donec totus Smegmatis fœtor à Sole & aëre extractus meliori & ſalubriori odori locum ceſſerit: Tandem aëri & Soli expoſita exſiccant, exſiccata componunt, & complicata in arcis, & armariis ad uſum cuſtodiunt.

Eodem planè modo & ratione Metalla tractamus, quando ipſa ſordibus ſuis eluimus, & coquendo in ſalubres cibos aut medicamenta mutamus,

mus, non tamen aceto vulgari, Sale vulgari, & aromatibus vulgaribus utentes, ſed Mineralia aut Metallica ſubjecta, ut & duplicem ignem uſurpantes, ſecretum videlicet, Philoſophicum, humidum, frigidum, & vaporoſum unum, ac alterum Elementarem, & vulgarem, quo priorem Philoſophicum ad vires ſuas expromendum movemus, & efficacem reddimus.

Elementarem ignem lignis, carbonibus, aut oleo excitamus: Agens Univerſale, ſive Philoſophicum, frigidum, humidum, digerentem; penetrantem, mundantem, emendantem, & non comburentem, ſed conſervantem & vaporoſum ignem in Sale quærimus, & Soli atque aëri vivificantibus operationem permittimus, quâ benè peractâ mirabiles plantas, & efficaciſſimos vitæ cibos, aut condimenta nanciſcimur.

Quoniam igitur Propoſitum meum eò tendit, ut hic de Metallicis, & Medicamentoſis ejuſmodi condimentis agam, in Nomine Domini eorundem nonnulla hîc ſubjiciam, quæ tanquam exemplaria ſibi propoſita in ſimilibus componendis & conficiendis unuſquiſque pro lubitu ſuo imitari poterit. Aliquid boni conficiendi viam dilucidè & clarè, quantum quidem mihi licuit, à me ſibi hic monſtratam inveniet; clarius & dilucidius eam monſtrandi poteſtas mihi non fuit. Propterea quemvis rogatum velim, ut præſenti æqui bonique conſulens, impoſterum quæſtionibus non neceſſariis mihi negotium faceſſere deſinat.

Itaque de Metallicis condimentis hîc acturis etiam opus est Metallico saccharo & aromate, quod vulgaris loco nobis exhibebit Saturnus, cujus operâ Solem & Lunam, tanquam præstantissima aromata, in efficacissima medicamenta redigamus.

Quod Plumbum hîc Sacchari loco usurpem, nemini mirum videri debet, cum intimus succus Plumbi dulcedine suâ quodvis saccharum longissimè superet, quod Isacus Hollandus in tractatu suo de Saturno admodum dilucidè testatur. Vulgo Chymici ex Plumbo per acetum destillatum Salem dulcem eliciunt, ac Saturni saccharum nuncupant, satis compertam exploratamque habentes Plumbi dulcedinem, quæ in nullo aliàs metallo se offert. Ex eo igitur ad nostra Metallica condimenta conficienda saccharum nostrum ità parabimus.

℞ 1. 2. 3. aut plures libras cinerum plumbi, quibus in forti ollâ figulinâ, probè vitreatâ affundes acetum vini, cerevisiæ, aut mellis destillatum, ut transversæ manus latitudine eos superet: Ollam carbonibus impone, ut acetum ebulliat.

(NB. Cineres inter bulliendum ligneâ spathulâ sine intermissione agitandi sunt, ne in integram & solidam massam concrescant) Postquam acetum per dimidiam circiter horam ebulliendo flavedinem, & sacchari dulcedinem contraxit, id à cineribus effundendo separa, aliudque affunde, & ite-

& iteratâ ebullitione novam dulcedinem extrahe, totiesque eundem laborem repete, donec acetum nullam amplius dulcedinem extrahere possit. Omnia hæc aceta conjuncta iterum sensim effundendo à fecibus suis in fundo vasis sedentibus segrega, & segregata per filtrum, aut chartam emporeuticam trajice, ut clarissima evadant, & dulcedinem Plumbi, quam continent, separatione reddere queant.

Claris igitur, & vasi vitreo immissis sensim infunde Spiritus Salis Rectificati tantum, ut flavum acetum in album lac convertatur, & hoc instar casei coagulati sensim ad fundum eat, à quo acetum jam clarum effundendo removendum est. Caseum Saturninum lineo alicui panno impositum, & superius fortiter colligatum residuâ humiditate exprimendo liberabis, exsiccabis, & ad usum repones. Tenerrimus est pulvis, niveo colore splendens, & omnis saporis expers, eò quod in præcipitatione omnis dulcedo per Salis Spiritum intrò conversa se occuluit, quæ posteà, ubi in condimentum massa illa redacta fuerit, se rursus monstrat, & saporem priorem ostendit, ut mox audiemus.

Amicus Lector sciat velim, quod in animo non habeam multas, & diversas operationes hic in medium producere ob temporis angustiam, quæ nos prolixioris descriptionis ambagibus supersedere jubet: Aliquot saltem proponens, unicuique reliqua, & quidem tot, quot, & ex quibus

 subjectis

ſubjectis voluerit, condimenta aut medicamenta ad præſcriptos modos pro lubitu conficienda & paranda relinquo. Si poſt Salem etiam condimenta & bellaria me appoſiturum non pollicitus eſſem, facile labore tanto carerem, & quidem non ſine magni momenti cauſis, quæ me ad hoc faciendum impellerent. Quid commodi mihi afferunt tot præſtantiſſima ſecreta ingratiſſimo ſubſannatorum, & ſcurrarum vulgo revelata, quæ ipſorum ſcurriles ſugillationes, & aculeata convitia non vitarent, licet vel decies, aut centies meliora eſſent. Satius itaque eſt facere & ſilentio cuncta involvere, quod me facturum polliceor. Ut autem hæc de condimentis in compendium contraham, ſatis conſtare arbitror, quod condimenta, & bellaria ſecundis menſis eum in finem apponantur, ut aut ſtomachus claudatur, & roboretur, aut inſtantibus Bacchi imbribus facilior in ſtomachum deſcenſus hujusmodi vehiculis ſternatur.

Id tamen non ſpectat propoſitum meum, ut talia condimenta hîc facere doceam, quæ vinum inutili prodigalitate in ſtomachum invehant, & corpus ipſum damno afficiant; ſed is potius meorum condimentorum ſcopus eſſe debet, ut malum vulgaribus condimentis, & nimiâ vini ingurgitatione in humano corpore excitatum ſemoveant, ſtomachum, cor, cerebrum, & cœtera corporis membra corroborent, læſas partes ſanent, & particulariter priſtinæ valetudini bonæ

reſti-

reſtituant, ac tandem quaſi manuductione quadam ingenia mortalium eo deducant, ut ad Univerſalis Medicinæ cognitionem faciliore viâ pervenire poſſint.

Ut igitur in Nomine Domini exordiar, ex fructibus ſaccharo conditis nullos gratiore ſapore palatum meum afficere fateor, quam berberides, & Ribes, ſeu S Johannis uvas, ut vocant, qui fructus ſaccharo conditi non ſolùm ſtomacho appetitum conciliant, verùm etiam ſitim ſedant, & omnem internum calorem nimiâ ingurgitatione accenſum exſtinguunt. Simile Condimentum Metallicum ita parabis.

Chalybis limaturam apud eos, qui acus conficiunt, venalem cape, ejuſque tantum, quantum vis, ſolve in Rectificato Spiritu Salis, quæ ſolutio viridis erit, & dulcem ſaporem exhibebit. Inſipidum Phlegma abſtrahe: Inſipidum inquam; Nam quamvis Spiritus Salis admodum fortis ferro affundatur, non tamen ipſe Spiritus, ſed inſipidum Phlegma tantum abſtrahendo, & deſtillando elicitur, ac ferrum omni aciditate Salis ſecum retentâ ruber, dulcis, ac aſtringens ſuccus manet. Hujus, & pulveris Saturnini, quem modo conficere docuimus, æquale pondus immitte in retortam probè luto munitam, in qua Saturni ſaccharum Chalybis ſuccum mox abſorbebit. Retortam vaſi arenâ impleto impone, & ſenſim ignem auge, ut inſipidum Phlegma omninò abeat. Poſt hujus diſceſſum, quando guttæ acidæ inci-

incipiunt decidere, apponendum erit receptaculum vitreum, ignisque pedetentim ita augendus, ut Retorta planè candeat, & per horam, aut saltem semihoram ità relinquatur. Hâc ratione Spiritus Salis, qui Chalybi adfuerunt, ferè omnes in receptaculum abeunt, ac Sacchari Saturnini, & Olei Martis secum avehunt sub specie rubri Sublimati se in Retortæ collo colligentis, quod, Retortâ refrigeratâ, & confractâ, ex ejusdem collo eximes, & conservabis ab aëre, in quo paucis horis dissolvitur in rubrum, dulce, & astringens oleum haud exiguarum in Medicinâ & Alchymia virium. In Retorta colliquatam invenies massam hæmatiti aspectu similem, quæ ab omnibus sordibus segregata rubrum, fragilem, fusibilem, & aliquâ ratione adstringentem lapidem exhibebit, magnarum in Medicina virium, & proculdubio etiam in Alchymiâ, si prius constans in igne redderetur. Hunc etiam ab aëre conserves necesse est, utpote Salibus adhuc imprægnatum, ac solutionem facilè ea de causa admittentem. In usum Medicum adhibiturus hunc lapidem, particulam ejus in tenerum pulverem contere, (non enim alio sale durior est, ideoque contritionem facile admittit.) Hic pulvis tàm internis, quàm externis læsionibus, & ulceribus medetur, 2, 3, 4, 5, 6. aut plura grana pro ægri ætate & conditione, commodo, & conveniente vehiculo hausta maximè sanant, & sanguinem sistunt. Externè vulneribus alligatus

mira-

mirabiliter ſanationem promovet, omnia ſymptomata impedit, & ex fundo exſiccat & curat omnia ulcera & fiſtulas, ſi externè & internè adhibeatur. Omnibus mulierum profluviis ſanguinis tutiſſimè, & certiſſimè medicatur, & in dyſenteriâ, Lienteriâ, aliiſque ventris effluviis adeò præſtans eſt medicamentum, ut ipſi ſimile non reperiatur. Habemus igitur Antiquorum Medicorum Hæmatitem illum verum, & genuinum, de quo tam multa ſcripſerunt, Medicorum tamen ſequutorum incuriâ, & temporis diuturnitate penitus amiſſum, cujus loco hactenus inſolubilis & durus ferri lapis uſurpatus eſt.

Veteres ſuis magni momenti medicamentis impoſuerunt nomina à ſimilitudine petita, ut cernere eſt in noſtro hoc vivo, & vulgarium Medicorum mortuo hæmatite, qui ex Pharmacopoliis petitus, & ægris ſanguinem ſiſtendi cauſâ propinatur. Nihil autem eſt aliud niſi lapis ferri, & minera hoc metallo ditiſſima, cujus fragmenta ſtrias haſtatas oſtendunt, aut lapidum ſciſſilium figuram exhibent. Eâdem formâ noſter hæmatites ille vivus in conſpectum prodit ſolubilis tamen, & pergratâ, ac aſtringente dulcedine pollens, ac vires in omnibus profluviis ſanguinis tàm externis quam internis ſedandis efficaciſſimas occultans: Alter verò ille vulgaris, & notus majores vires non poſſidet, quam ſcobs illa ferrea, quam fabri ferrarii colligere ſolent. Sublimatum verò illud rubrum, quod in Retortæ collum aſcendit, duplo

plo majores in enarratis morbis debellandis virtutes obtinet, sed saporem minùs suavem habet, quàm ipse lapis, qui in fundo retortæ mansit. Externè adhibitum in veteribus ulceribus fistulosis purgandis & mundandis multo fortius operatur, quam hæmatites ille noster, qui haustu suaviore in defectibus internis propinatur. Qui pluribus solutionibus, & coagulationibus hunc lapidem in igne constantem, reddere noverit, medicamentum longè præstantius consequetur, de quo in fine hujus tractatus pluribus agemus.

Hoc condimentum, quibus bonus Medicus ac Chirurgus jure ac merito, in omnibus profluviis, & ulceribus tàm veteribus quàm novis maximi facere debet, si honoris, quem venatur, particeps esse cupit. Magnis enim viribus pollet, cum è contrario Acaciæ Succus, vulgaris hæmatites, & Crocus Martis, si cum ipso comparentur, pro merè mortuis medicamentis habenda sint. Rubri Sublimati vires plures enarrare possem, & præcipuè quod nec illigatus, nec etiam haustus, sed sympatheticè tantùm, & absens quæcunque sanguinis profluvia curare queat: Sed hæc silentio ut prætercam satius est, cum maximæ imperitorum hominum parti non modo mira sed etiam impossibilia esse videantur. Tam præstantissimum tamen medicamentum in omnibus internis & externis profluviis sanguinis, vulneribus, & læsionibus, ut & omnibns lienis, hepatis, aliorumque in corpore membrorum obstructionibus de meliori notâ unicuique commendo. Tali

Tali ratione omnia metalla facilè quis in facchara, & in medicamenta optima mutaverit. Veruntamen quia non omnia in universum Metalla apta sunt, quæ alicui ægro haurienda propinentur, cœteris præteritis aliquam saltem de Auro & Argento, tanquam omnium optimis mentionem faciam, & aliquot adhuc condimentorum præparationem docebo. Cuprum, Stannum & Argentum aliquantò crudiora sunt, & majorem curam ac diligentiam requirunt, ut medicamentorum bonorum numero adscribantur. Ea missa facimus, aurum,& argentum maturiora in promptu habentes.

Modus ex Argento parandi Condimentum bonum, quod cerebri ægritudinibus & morbis medetur.

ARgentum periti Medici Chymici cerebro medicamentum assignarunt, quâ attributione acquiesco, & tale condimentum hic subjicio, quod Cerebri usibus maximè inserviet.

℞. Aquæ Fortis vulgaris, qualis ad solvendum Argentum adhibetur, libram unam, cujus unciis duabus solves unciam unam Argenti puri, ut & separatim Plumbi unciam unam. Utramque solutionem in vitro capax orificium habente confundas, & utrique confusæ affundas Rectificati Spiritus Salis tantum, quantum ad utriusque Metalli

talli præcipitationem sufficit. Præcipitatis Metallis à limpidâ aquâ effusione liberatis affundatur iterum aqua dulcis, & cum iis probè agitetur, quæ, postquam calx illa præcipitata in fundo resederit, iterum effundenda, aliaque nova affundenda, ita ut hic labor toties iteretur, donec pulvis ille præcipitatus omni acrimoniâ careat, quem linteo puro immissum impones infundibulo, ut residua humiditas destillando segregetur: tandem linteum fortiter colliga, & duobus orbibus residuam humiditatem omnem ex isto caseo argenteo exprime, & hunc chartæ emporeuticæ seu bibulæ impone, quæ omnem reliquam humiditatem imbibet, & caseum mox exsiccabit. Hic vitreæ retortæ luto probè munitæ immittendus, & lento igne ex arenâ urgendus, ut omnis humiditas superflua separetur. Ignis tandem auctus Argenti & Plumbi partem expellet alborum florum formâ in Retortæ collum ascendentem. Postquam verò per horam unam Retorta ita candens conservata fuerit, ignem extingui per se finito, & frigidam Retortam eximito, in cujus fractæ fundo invenies album & dulcem lapidem in candente Metalli laminâ instar ceræ fluentem, illam penetrantem, & instar Argenti Vivi volatilem. Hujus in pulverem contritione comminuti grana 2, 3, 4, 5. usque ad 8. aut 10. pro ægritudinis & ætatis ratione propinata in capitis & cerebri morbis solatium præsentissimum afferunt, quod & albi illi flores præstare solent: In

Chy-

Chymicis verò operationibus insignem usum habent. Quanquam verò hic lapis per se fugacem naturam habet, progressu temporis tamen Mercurium secum in igne constantem reddit, qua de re jam alibi in scriptis meis mentio facta est, ut de eadem plura hîc tradere non opus sit.

Hoc tamen silentio non prætereundum, licet aliàs Argento & Plumbo nulla cum Sale familiaritas intercedat, quod tamen hæc tria ita præparari possint, ut mistione aliquâ societatem inire non recusent. Hinc fit, si Sal ad hanc operationem rectè aptatus fuerit, ut fortiores vires exerat, atque eâ de causâ Argentum eò magis patiatur, eòque citius constantiam in igne acquirat, & ita testetur, arti non de nihilo nomen Alchymiæ, sive fusionis Salis, inditum esse. Metalla enim Salis ope fundenda & emendanda sunt, quod notabis.

Aliud Condimentum ex Auro, & Argento parandum.

℞. ARgentum purum, quod Aquâ Forti Solves, Spiritu Salis præcipitabis, aquâ communi suâ acrimoniâ liberabis, exprimendo aquam, & chartæ bibulæ imponendo exsiccabis, & omninò ita tractabis, ut in antecedentibus de Saturno diximus. Hujus calcis tres cape partes, & unam Auri, Oleo Salis soluti, ac Argenti cal-

cem prius in Retortam vitream fortem, & luto probè obductam immitte, eique flavam Auri Solutionem affunde. Ex Retortâ arenæ impositâ primò Spiritum Salis expelle, in qua expulsione Argenti calx Aurum secum retinebit, atque ex utroque Lapis fiet purpureus, ad ruborem aliquantum accedens, fusibilis, & volatilis. Oleum verò Salis aliquid de Auro & Argento secum in Retortæ collum sublevabit, quod cum priore lapide ex Retortâ fractâ eximes, itâ tamen, ut utrumque separatim custodias, tanquam magni momenti medicamentum, quæ si solvendo & coagulando in fixum Rubinum converterentur, in Metallicis operationibus majore utilitate proculdubio officio suo fungerentur.

Habes hîc tertium condimentum brevibus verbis descriptum, quod si cum omnibus suis circumstantiis describendum esset, Processus ipse profectò prolixior & tædiosior, quàm par est, foret. Ac cum nonnullis mea scripta satis prolixa esse videantur, æquum fuit, ut brevitati hoc in loco studerem, aliis contra, ut probè novi, nimis contractæ & brevi futuræ. Sed ne Jupiter omnibus idem: Ejus qui in universum omnibus satisfaciat nondum hactenus nati nativitas expectatur. Quacunque ratione actiones tuas institueris, sive paucis te ipsum expedieris, sive longioris ambagis circuitu usus fueris, nequaquam cunctorum expectationem & desiderium complebis. Eapropter condimentum hic appono (
ejusque

ejuſque mandendi & abliguriendi curam & occaſionem hoſpitibus committo. Meditatione accuratâ quiſque rem expendat, ut comperire poſſit, quanta hujus Proceſſus, quantumvis breviſſimè propoſiti efficacia & utilitas exiſtat.

Condimentum aliud.

Confectio Alkermes Mineralis.

IN Pharmacopoliis ex cocco ſeu granis Kermes Confectio paratur, nomine confectionis Alkermes nota, in quâ granis dictis adjunguntur in pulverem tritæ margaritæ, auri folia, ambra gryſea, aliaque ejuſmodi cor corroborantia ſimplicia. Hoc medicamentum ſaccharo conditum inter illa, quæ cordis corroborandi causâ adhiberi ſolent, primas tenere creditur, & laudem ſuam meretur; Sed in foliorum Auri, quæ à ſtomacho digeri, & concoqui nequeunt, atque ideò ſine ulla operatione cum excrementis excernuntur, locum, aliud ſubſtituam Aurum, quod Naturæ conveniens & accommodatum vires ſuas exercere poterit, & foliorum Auri locum in Confectione Alkermes occupabit. Ac ſi cui libuerit, cocci granis non ubique parabilibus omiſſis, hoc Auri ſucco, quem hic docturus ſum, & quidem ſaccharo, aliiſque ſpeciebus cor ipſum roborantibus mixto uti poterit. Confectio enim hæc

Aurea purpurei coloris, maximè cor suâ corroboratione confirmat, & ipsum Aurum, quàm Cocci illius grana, quæ ad nos Monpelirio advehuntur, longè præstantiorem colorem purpureum, aut coccineum expromit. Aurum autem dictum conficiendi modus est, ut sequitur.

Calcem Solis sive Auri Salis Spiritu forti solve & solutioni aquam affunde tribus aut quatuor partibus solutionem ipsam superantem, ut Sp. Sal. acrimonia aliquantum infringatur. Huic ità paratæ imponito Stanni nullo plumbo commixti frustulum, quod Sp. Sal. fractus adorietur, & portionem ejus solvet. Debilior quoq; redditus dimittet omne, quod continet, Aurum instar purpurei pulveris Stanno adhæsurum partim, partim verò naturali suo colore minutissimorum atomorum in Sole Circumvolantium, & stellularum instar ad fundum iturum. Postquam igitur totum ipsius corpus in pulcherrimum, & tenerrimum pulverem ex Spiritu Salis, qui jam clarus & limpidus erit, præcipitatum fuerit, Spiritum effunde, & Stanno ex Aureo pulvere exempto, ipsum pulverem aquâ purâ & limpidâ elue, ut nullus Salis Spiritus in eo animadvertatur, & ipse ità paratus foliorum Auri loco ad Confectionem Alkermes adhiberi queat.

Porrò Aureum hunc pulverem si vis, in crystallos congelato, & debiliore Salis Spiritu in Syrupum sacchàro soluto ambræ gryseæ exiguâ portione, & margaritis tritis additis in confectio-

nem

nem rediges, æquè bonam, imò meliorem illâ vulgari Alkermes confectione, quandoquidem in nulla alia re, nisi in Auro solo, major virium cordis corroboratio, & pulchrior color purpureus reperiri potest. Si rectè operatus fueris, fieri non potest, quin purpuream & auream Confectionem consequuturus sis.

NB. Stannum purum, & mundum sit oportet, quod quò candidius fuerit, & quò acutiorem sonum ediderit, eò aptius etiam ad opus erit. In ipsâ Compositione uteris pondere, aut mensurâ quæ sequitur.

℞. 1. Lotonem Calcis Auri, & 3. aut 4. lotonibus fortis Spiritus Salis Rectificati solve; solutioni 12. aut 15. aquæ puræ lotones affunde, his omnibus 2. Stanni lotones impone, ac calidæ arenæ vitrum hanc solutionem continens immitte, ut tantum incalescat, sed non ebulliat. Ubi per unam aut alteram horam ita steterit, omne aurum in purpurei & aurei splendoris pulverem mutatum in fundo residebit. Effusâ aquâ, stannoque separato omnem acrimoniam pluribus lotionibus à Pulvere segregabis, atque ita ad Confectionem aptum habebis. Postea sume 12. lotones Sacchari in stirias concreti, & 1. lotonem Spiritus Salis Rectificati, ac aquæ puræ tantum, quantum saccharo in crassum Syrupum redigendo sufficit: His adde lotonem unum purpurei & teneri istius pulveris Aurei, qui omne saccharum purpureo, aut coccineo colore obducet; Posteà

adjice duos tritarum, aut comminutarum margaritarum lotones, & ambræ gryseæ quentulam, misce, & tanquam efficacissimam Confectionem ad usum sepone. Si alias cor firmantes, & roborantes species prioribus adjungere volueris, pro lubitu illud facere poteris. Dosis autem hujus Confectionis est à granis 3.6.9.12.15, ad 20. pro ratione personarum. Cor, cerebrum, totumque corpus corroborat, & ob Spiritum Salis etiam sitim sedat, & appetentiam edendi excitat.

Sed hæc Condimenta hac vice sufficiunt; restat, ut etiam aliquot selecta, & innoxia Medicamenta Purgantia ex Metallis petamus, & præmissis subjiciamus. Quando hospites in conviviis in Magnatū sanitatem plures scyphos, & frequentia vitra forti vino impleta exhauriunt, fieri non potest, quin stomachi ipsorum tenacibus & viscosis humoribus farciantur, caput plurimis catharris obruatur, & viscera flatuum ingenti copiâ oppleantur. His stomachis, & capitibus tantâ humorum tenacitate obsessis, totique corpori tam frequentibus ingurgitationibus corrupto, commodius & melius succurri nequit, quam medicamento purgante, quod omnes malos & noxios humores expellendo meatus corporis omnes aperit, & respirationem necessariam reducit. Tria igitur Medicamenta ejusmodi Purgantia, & quidem admodum bona hìc proponemus; Unum ex Antimonio; Alterum ex Argento, & Antimonio: Tertiumque ex Auro & Antimonio quorum

quorum quodvis per se cœteris Vegetabilium Medicamentis Purgantibus longè præstat. Metalla enim corpus longè melius penetrant, ac minori cum periculo suas operationes peragunt, quàm Vegetabilia, quorum pleraque tenaci resinâ affluentia hanc sæpè visceribus applicant, & magna tormina excitant, non timenda à Metallicis Medicamentis Purgantibus, quæ ideò præferenda illis ex Vegetabilibus ortum suum ducentibus, non quidem à me contemptis, quippe bonis, & in meliorum defectu ad usum adhibendis.

Quoniam igitur, quoad vixi, multorum medicamentorum ejusmodi periculum feci, & reipsa comperi, quod Metallica Purgantia Vegetabilibus suavitate, & efficaciâ antecellant, ac longè tutiora sint, non potui, quin posteris eadem præ cæteris commendarem, his tamen aut illis uti unicuique liberum relinquens.

Saturnus Purgans.

Saturni ℥ij. solve in Aquâ Forti purâ, solutionique affunde unciam unam Butyri Antimonii, ut unà præcipitentur in album coagulum, cui aquæ puræ bona pars affundenda, & probè cum ipso agitanda, ut Spiritum Salis, qui in Butyro fuit, imbibat. Hàc aquâ effusâ aliam affunde, laboremque hunc toties itera, donec omnis aciditas ex pulvere præcipitato extracta fuerit.

 Albus

Albus hic Pulvis exſiccatus optimum eſt purgans, omnes malos & noxios humores ſine periculo ex corpore educens, & à grano uno ad 10. ratione ægri, propinatum per inferiora operans, præcipuè cum doſis minore quantitate exhibetur. Sin vomitu etiam opus fuerit, doſis augeri poterit cumprimis apud eos, qui vomitionem tolerare poſſunt, aut facili negotio vomunt. Tutum, & bonum purgans in uſum ſine periculo admittitur in omnibus morbis in quibus Purgantia medicamenta adhibenda ſunt, & adhiberi poſſunt.

Luna purgans.

PUri Argenti uncias duas ſolve in quatuor unciis Aquæ Fortis, Solutionique affunde unciam unam Butyri Antimonii, quod cum Argento in coagulum Album abibit, ut modò, de Saturno d ximus. Hunc pulverem aquâ vulgari elotum, & exſiccatum eâdem, quâ Saturnum, doſi adhibe, qui in omnibus morbis, ac præcipuè Capitis ſuarum rerum ſatagit.

NB. Butyrum Antimonii ex Regulo Antimonii per rectificatum Spiritum Salis, & non per Mercurium Sublimatum, ut vulgo ſolet, parari debet.

Aurum Purgans.

PRimò para fortissimum Nitri spiritum ex calcinati Aluminis, & boni Salispetræ partibus æqualibus immissis Retortæ luto bene munitæ, ex quâ pedetentim & per gradus in receptaculum admodum capax retortæ collo aptatum Spiritus vitrum illud appositum rubro splendore replens eliciendus est. Eo toto elicito ignem sua sponte extingui permitte, ac Receptaculum tamdiu relinque, donec omnes Spiritus resederint, & ipsum receptaculum penitus clarum fuerit. Lutum, quod Receptaculum Retortæ jungit, aquâ macerato, & in demendo receptaculo ipso apprime caveto, nequid de luto decidat in spiritum, quem forti vitro infusum probè cerâ obturabis, ne exhalet; admodum enim fortis est, ac instar sanguinis rubet, quia nulla aqua in Receptaculo ipsi apposita est.

Hujus Spiritus fortis uncias duas affunde uni unciæ Butyri Antimonii, quod mox in rubram solutionem abibit, cui imponenda uncia una Auri puri, ut solvatur solutione superante ipsum sanguinem rubore suo. Aqua Communis in eam infusa Antimonium & Aurum in purpureum præcipitabit pulverem, qui aquâ eluendus, & exsiccandus est.

Dosis ejus est à grano 1, 2. ad sex, habitâ ratione ætatis & personæ, atque vino, cerevisiâ, aquâ,

aut quovis alio liquore, qui pro vehiculo erit, propinatur. Sine omni periculo, præ cœteris cunctis Purgantibus, tutò & jucundè omnes noxios humores, ex corpore humano educet.

Aurum Diaphoreticum.

SI modo dictæ Solutioni rubræ aqua præcipitationis causâ non affundatur, sed fortis ille Spiritus Nitri per Retortam eliciatur, Antimonium purgante & vomente suâ virtute spoliat, ac ipsi diaphoreticam vim conciliat. Purpureo Pulveri exempto ex vitro nullâ prorsus elutione opus est, quia 2. 3. 4. 5. 6. aut 10. granorum dosi exhibitus tutò admittitur, & sudorem concitat: ideò in omnibus morbis, qui per sudorem expellendi sunt, admodum utilis, imò in lepra, podagra, hydrope, morbo Gallico, peste, Scorbuto, & cunctis febribus, summa cum admiratione officio suo fungens, utpote qui Auro, quod continet, & sudorem promovet, & Corporis vires corroborat.

Prior pulvis, sive Aurum purgans, & Luna vel Saturnus purgans æquali pondere in crucibulo colliquati in rubrum lapidem aut vitrum abeunt, de quo iterum tabulæ aliquantò majores piso fundi, & reservari pòssunt. Ubi igitur purgatione opus est, una ejusmodi tabella aliquot vini cochlearibus imposita per noctem relinquitur, vinumque sequenti manè ebibitur, planè eo

modo,

modo, quo purgantia cœtera adhiberi solent. Ex vitrea enim tabella tantum virium à vino extractum est, ut aliquot inde fedes oriantur. Si una tabella non sufficeret, ascendendo una altera, aut tertia pluresve adjungi possunt, per noctem in vino relictæ, ut vinum majore efficaciâ operetur, si opus fuerit. Ipsæ tabellæ diu bonæ manent, & multoties ad eundem illum usum adhiberi queunt.

Si quis adhuc melius eodem labore defungi cuperet, ex alba terra sibi poculum parvum conficiendum, & dicto vitro intus & extra obducendum dare posset. Duo enim aut tria vini cochlearia tali poculo infusa, per noctem relicta, ac manè sequenti ebibita eodem plane modo operationem purgantem efficere possunt.

Hi horum Purgantium in Medicinâ sunt effectus: In Alchymiâ quoque aliquid boni præstant, si omnia tria, nempe ex Saturno, Luna, & Auro, in vitrum fundendo redigantur, quod Philosophicâ cœmentatione tractatum, aliquid de Argento, Plumbo, & Antimonio emendatum, & ab Auro in Aurum conversum exhibebit.

Optio tibi hîc datur, Amice Lector, eligendi & utendi ex his, quibus tibi opus erit. Mercurii quoque hîc mentionem facere debuissem, quem tamen studio præterii, eò quod non adeò facile, & promptè, ut alia Metalla, in tutum medicamentum redigi possit.

Valedictionis loco hæc habe: Si Deus Apollo

Medicinæ inventor suum alicui lumen largiri & calidis suis radiis indomiti, fugacis, & patri suo Dædalo inobedientis & ex insulâ Cretâ per mare Icarium fugientis filii Icari cereas alas liquefacere vellet, ut in dulce & Sulphureum mare Solis decideret, & in eodem submersus moreretur, ex mortuo ipsius corpore, quod nullâ aliâ ratione debellari solet, præstantissima Medicina parari posset. Quâcunque enim ratione aliàs tractetur, ac sive in album sublimatum mutetur, sive in flavum aut rubrum præcipitatum redigatur, semper tamen corrosivus est, & manet, malitiamque innatam adeò firmiter retinet, ut plus damni quam emolumenti afferat, atque ideò jure ac meritò vitetur.

Aut si modus nobis notus esset ipsum figendi sine ullâ corrosione per tres illas totius Medicinæ columnas primarias, Vitriolum puta, Sulphur, & Antimonium, in omnium morborum curâ proculdubio absque omni metu adhiberi, & magna etiam præstare posset. Non enim vulgari more tot purgationes, & salivationes vehementes, atque alia symptomata noxia excitaturus, sed operatione leni per sudorem, & urinam ægro auxilium celerrimum laturus, & Medico maximam laudem conciliaturus esset.

Hoc velim quisque sciat, penes Sulphur esse potestatem omnia corrosiva occidendi, & ad dulcedinem redigendi, sive illud siccâ, sive humidâ viâ perficiatur. Ex omnibus Sulphuribus aptissi-

mum

mum est vegetabile Sulphur, qnod inflammabili suâ naturâ liberatum unius horæ spatio corrosiva quantumvis maxima ad dulcedinem reducere potest. Imo quodvis Metallum prius in ejusmodi corrosivis solutum cum iisdem dulce medicamentum evadit. Sic quando Aurum in Spiritu Salis, & Argentum, Stannum, Cuprum, Ferrum & Plumbum in Aqua Forti solvuntur, & corrosivum illud solvens à Sulphure dulci mutatur, evenit, ut Metallum unà cum illo Medicamentum fiat, & potabile evadat. Tales Metallorum, Auri cumprimis, & Argenti liquores potabiles, & omni corrosione carentes in meo pharmacopolio offendes, qui æquè ex Argento, & Cupro quam Auro rubri existunt. Auri liquor Auri Potabilis loco usurpari potest, & Mercurium cum reliquis metallis deaurat, sicut Argenteus liquor Mercurium & Argentum argenteo, Cupreus Mercurium & Ferrum cupreo colore obducit.

NB. Aurora Jovis amore inflammata, eundemque secum in cœlum subtrahente, si à cœteris Diis uterque rursus in mare salsum deturbantur, & præcipitantur; ex hoc balneo adeo pulchri & albi emergunt, ut illa Dianæ, hic Apollinis pulchritudinem referat, nondum tamen in igne constantes. Sed tempore balneandi elapso Mars in litus maris veniens utrumque in siccam Insulam, Ferream à ferro denominatam extrahit, ubi adhuc semel à Vulcano, Saturni operâ utente lavantur lavacro sicco longè accuratius quam sal-

sum

ſum mare, ſordes eluente, cum eluendo & purgando non ceſſet, donec cunctæ ſordes ab utroque corpore ſeparatæ fuerint, & ipſi Dianæ & Apollini conſtantiâ & pulchritudine conformes facti fuerint.

Mars videns, quod ſoror ſua Venus, & frater Jupiter tantâ pulchritudine ex mari ſalſo emerſerint, in idem inſiliit, ut aliquot tempus lavando conſumens nigrum ſuum corpus nigris illis ſordibus eluendo purgaret. Tanta verò ſordium copia elota totum mare viride, & dulce reddidit, ipſumque Martem jam valde diminutum abſcondidit, ità ut nunquam ex iſto mari evadere potuiſſet, niſi Sol ipſius miſertus aquam Maris exſiccaſſet, ut Saturnus claudicando ad ipſum pervenire, ut miſerum ex luto eximeret, potuerit, quod etiam fecit.

Sed quia luti erat copia tanta, ut grallis pedes claudos ſuſtentantibus per lutum redire nequiverit, unà cum Marte eidem luto inhærens vitâ ſuâ excidit. Ex utriuſque Martis videlicet & Saturni corporibus mortuis Vulcanus tandem unum conflavit caput habens duabus faciebus aut duplici vultu exornatum, uno Apollinem, altero Dianam referente, unde & Jani Bifrontis nomen ipſi à Vulcano impoſitum fuit.

Ex his paucis, & brevibus operationibus & Proceſſibus unicuique ſimiles alios plures fingere, & excogitare licebit. Mihi hac vice integrum non eſt ſimilium rerum prolixiore enarratione mi[illegible]

ip[illegible]

ipsi negotium facessere, qui jam his, quæ dixi, & ingratis patefeci, modum me nimis transgressum esse arbitror. Eligat ea quisque quæ sibi commoda fore putaverit, ac ea despicere omittat quorum sensum capere nequiverit.

Vulgari Proverbio dicitur, quod deliciarum exquisitarum nobilis vini haustus comes esse debeat.

Quoniam igitur tribus condimentis præcedentibus palato delicias præstantes exhibuimus, par est ut & tres haustus delicatos eidem exhibeamus, & quidem ex Metallorum optimis, Auro videlicet & Argento petitos, quandoquidem ipsa condimenta ex iisdem composita fuerunt. Haustus illos Veteres illi Majores nostri Nectar, sive Deorum Potum nuncuparunt, hodie Auri & Argenti Potabilis nominibus notos.

De his multi quidem ignorantiæ Fratres multa blaterant, & falsò jactant, quod sine Philosophorum lapide nullum verum Aurum Potabile parari & esse queat. Effatum enim hoc à veritate penitus abludit cum Aurum & Argentum quis facile potabilia reddere possit, licet Universalis Medicinæ nullam planè cognitionem habeat; quod ita intelligendum, nempe quando Aurum & Argentum vel sola, vel conjuncta in suavi, & non corrosivo menstruo solvuntur, & apta redduntur, ut in aqua, cerevisia, vino, aut alio liquore ægris propinari queant. Etenim Solutiones ejusmodi pro Simplici Auro & Argento Potabili accipi possunt.

Quod

Quod autem aliquis Aurum in corrodente illa Aqua Regis, aut Argentum in Aqua Forti solvere, & cogitare velit, quod Aurum & Argentum Potabile habeat, toto cœlo errat, Potabilia quidem sunt, utpote quæ instar aliorum liquorum bibi possent; Sed quia ejusmodi Solutiones cuncta corrodunt, & maximum damnum inferunt, jure ac meritò repudiantur: idque eò magis quod in vinum aut cerevisiam infusæ eadem turbant, & fœdant, quod nullum verum Aurum Potabile in menstruo non corrodente solutum non facit, sed clarum ac limpidum manet, quando vino, cerevisiæ, aut aquæ miscetur. Præterea verum Aurum Potabile ita comparatum esse debet, ut nullum Aurum corporale in conspectum producat, & nihilominus minora Metalla, si in ipso cocta fuerint, ut & Mercurium aureâ naturâ induat, aut in crucibulo per siccam viam in aurum coagulet, & transmutet, sive cum lucro fiat, sive etiam sine alicujus commodi perceptione efficiatur. Hæc enim tingendi virtus non à corporali & mortuo, sed à Spirituali, vivo & tingente Auro proficiscitur.

Si igitur vulgaris & corrodens Auri Solutio pro Vero Auro Potabili non potest haberi, & Spirituale ac tingens Aurum, sine omni corrosione solutum in hunc censum etiam venire non deberet, unde quæso illud petendum, & ubi quærendum esset? Equidem mihi facile persuadeo, si Primum Ens Auri ità lavare & purgare sciremus, ut in-

ut in liquorem ſanguineum converſum per Alembicum, aut ex retorta ſe expelli pateretur, quod melius Aurum Potabile habituri eſſemus. Sed ubi talem artificem reperiemus, qui talis Auri Potabilis parandi modum nos doceat? Par eſt igitur ut tamdiu iis quæ in promptu habemus, contenti ſimus donec Deus nobis meliora largiatur. Hoc etiam credo, ſi tale artificium nobis innotuiſſet, quo Mercurium ita lavare & purgare, ut in ponderoſam & dulcem aquam abiret, eique fermenti loco aliquid Auri puri adjungere poſſemus, ut unà ſe attollant, atque iterum conſtantia & fixa evadant, quod ex ipſis ruber & ſolubilis Carbunculus, aut verum Aurum Potabile oriundum foret. Sed hæ ſunt cogitationes & meditationes meæ ſimplices, ſalvis iis, quas alii hâc de materiâ conceperunt. Aliàs Spirituale Aurum, & Spirituale Sulphur ex vite, ſi Salis auxilio conjungantur bonum exhibent Aurum Potabile, quod Aurum potentiá, non autem ipſo actu aut formâ continet, ut videre eſt in meo tractatu de vero Auro Potabili, quod inſtar aquæ limpidum, & clarum Aurum Potabile albi vini loco meis condimentis appono.

Sicut verò Vinum album eò magis flaveſcit, quò diutius cuſtoditur, & conſervatur: Ita etiam album meum Aurum Potabile ultra duos aut tres menſes alborem ſuum non retinet, ſed magis ac magis flaveſcit, ac tandem, retentâ ſuâ facultate tingendi in ruborem vertitur. Qui igitur vini,

aut Auri Potabilis sapore minus delectatus fuerit, tamdiu expectet, donec inveterata flavescant, aut rubescant. Ita enim ipsi melius sapient, utpote quæ longo temporis progressu sulphureum suum saporem amiserunt.

Quo autem pacto Aurum illud Potabile, ut & aliæ omnes injucundæ, fugaces, & immaturæ potiones Metallicæ, ut Liquores jucundi, maturi, fixi & suaves reddendi sint, posteà revelabitur.

Porrò boni haustus loco hîc appono aurei coloris animam, aut Tincturam meam ex Nitro paratam, de quâ in II. parte meæ Pharmacopœæ Spagyricæ agitur. In Medicinâ non minoribus viribus pollet, quàm illud ipsum Aurum Potabile, cujus modo mentionem fecimus: Sed in Alchymiâ aut Metallorum mutatione nihil præstat. Quid verò facturum esset, si fixum, & in igne constans efficeretur, hactenus mihi non constat, qui ad eum terminum illud nondum perduxi: Quomodo autem fixum reddi queat, mox etiam indicabitur. In eo, in quo versatur, gradu, Tinctura illa ipsa, grandes in Medicinâ producit effectus, imò majores illis ipsis, quam eam producere in II. Parte Pharmacopœæ Spagyricæ prædicavi. Sapore suavi palatum afficit, jecoris, pulmonis, & splenis obstructiones removet, urinam promovet, calculum expellit, excrementorum obstructiones prohibet, sine omni periculo à senioribus & junioribus, imò etiam illis, quorum

vires vehementer dejectæ & debilitatæ ſunt, uſurpatum opem præſentem ferre ſolet, mirum in modum corroborat, & omnibus Animalibus, Mineralibus & Vegetabilibus fertilitatem conciliat, quod unicuique facile innoteſcet, ſi ſemen aliquod Vegetabile eodem maceraverit, quod terræ mandatum longè celerius creſcet, & matureſcet, quam reliqua ſemina facere ſolent.

Aliquoties tritici, hordei, piſorum & conſimilium frumentorum ſemina per noctem illo ipſo liquore maceravi, atque ità macerata puræ arenæ inſevi, quæ longè celerius maturitatem ſuam conſequuta ſunt, quàm illa, quæ bonæ & pingui terræ inſita fuerant, quod multos homines in ſummam admirationem rapuit, cum viderent, etiam in arenâ nudâ ſine aliâ terrâ & ullo fimo frumentum creſcere, & ad perfectam maturitatem pervenire poſſe.

Sunt plures alii Sales magni non conſtantes, & magnâ copiâ ſe offerentes, quibus frumentum maceratum, & terris vilioribus, nulloque fimo pinguefactis mandatum etiam matureſcit, quod non ſemel ſed ſæpius expertus ſũ, ac etiam, ſi Deo placuerit, inpoſterum in hiſce Provinciis Unitis publico effectui dare propoſui, quem in finem harum Provinciarum Potentiſſimi Ordines Generales & Provinciales mihi in multos annos Privilegium largiti ſunt, quo ſine meo permiſſu & conſenſu tali ratione viles, arenoſas, & fimo non pinguefactas terras conſerere prohibetur. Totius

rei fundamentum est Sal Marinus, qui copiosè in hisce locis haberi, facilè parari, ac loco fimi ad viles, & aridas terras pinguefaciendas adhiberi potest. Inter omnia autem consimilia medicamenta eminet, & excellit Tinctura Nitri, faciens ut ex uno grano plures culmi exeant, & millecuplus fructus prodeat. Nec avibus solum, sed & hominibus, atque animalibus terrestribus, & ipsis in aëre viventibus avibus fertilitatem confert. Pari ratione etiam fieri potest, ut & Metalla ejusdem adjumento multiplicentur, ut mox in sequentibus demonstrabitur.

Ambo hæc vina, sive potus efficaces probè cum Metallicis condimentis conveniunt, corpus calefaciunt, stomachi concoctionem promovent, spiritus corroborant, bonum nutrimentum exhibent, superflua excrementa debito modo per secessum & urinam ex corpore exturbant, hilaritatem afferunt, valetudinem prosperam largiuntur, speciosam formam conferunt, & complexiones in optimam, & sanguineam mutant, quibus in rebus cunctis efficiendis pura illa & aureum colorem obtinens Tinctura Nitri excellit.

A proposito ut parum hic digrediar necesse est, & aliquantò dilucidius, & clarius ob oculos ponam quatuor primarias Complexiones, ex quibus cœteræ mixtæ oriuntur, prout homo vel hujus vel illius magis particeps est.

Quantùm igitur ad Complexiones attinet,

Vete-

Veteres Medici ex crinium forma & colore judicarunt, & opinati ſunt, Sanguineam omnium puriſſimam rubros crines, & albam cutem parvis, & flavis maculis diſtinctam producere. Tales homines calido, humido, & ſanæ conſtitutionis ſanguine prædìti diligentes ſunt, docti, pii, ad Venerem naturâ proni, ingenioſi, hilares, ac plerunque diu viventes, ſed calidis morbis, ut febribus, peſti, & ſimilibus obnoxii, ac inter Planetas Soli, inter Metalla Auro naturâ ſuâ reſpondent.

Cholerici nigris admodum crinibus veſtiti, cutemque ſubflavam habentes fervidum & ſiccum poſſident ſanguinem, & ſunt iracundi, litigioſi, fortes, audaces, bellicoſi, meretriciis amoribus dediti, callidi, impii, falſi, à miſericordia abhorrentes, aliorum malo lætantes, ut in bello fieri ſolet. Æſtuoſis febribus vexantur, ut & fellis exæſtuatione, ac inter Planetas cum Martis, & Veneris, inter Metalla verò cum Ferri, & Cupri naturâ conveniunt.

Melancholicorum crines ut plurimum inter nigrum & album colorem intercedunt, & cutis alba eſt: Ipſi vero frigidæ & ſiccæ naturæ, quieti, laborioſi, meditabundi, induſtrii, ſinceri, pii, & miſericordes, ad fletum potius proni, quàm ad riſum, ſi quid de adverſis caſibus inaudiverunt, juſtitiæ ſtudent, ac ſine Hypocriſi, aut hominum æſtimatione Deum timent. Omnis generis morbis ſubjecti, debilitate membrorum

affliguntur, atque ex Planetis Saturno & Jovi, ex Metallis verò Plumbo & Stanno comparantur.

Phlegmaticis natura & proprietas est humida & frigida, crines, & cutis alba, ingenium crassum, indoles somnolenta, negligens, de nullis rebus solicita, pertinax, invida, pigra, & crassa ac indocilis, corpusque membris crassioribus constans, quod scabie, ulceribus, & frigidis febribus vexari solet. Ex Planetis Luna, ex Metallis Argentum haud multum ab eorum indole abludere censentur.

Hæ complexionum in hominibus, & animalibus notæ esse creduntur. Hoc tamen sciendum est, unam complexionem solam rarò in homine aliquo absolutè primas tenere, sed ex ipsis ut plurimum mistam existere, atque à prædominante nomen sibi acquirere. Homine ex sanguinea & Phlegmatica bipartitam quasi Complexionem obtinente, & color uterque ut & nomen dividitur, ita ut ex rubris & albis flavi crines oriantur, & ipsi homines bonæ, temperatæ, & fertilis sint naturæ, quod & de aliis commistionibus intelligendum est.

Cum verò pura & Sanguinea Complexio óptima, & saluberrima habeatur, Veteres Medici superfluum alicujus Phlegmatici scabiosi Phlegma, & aquosum sanguinem, aut Melancholici tristes & anxias cogitationes, aut Cholerici furens cerebrum curaturi dicere solebant;

Ex

Ex hoc Phlegmatico, Melancholico, aut Cholerico Sanguineum, i. e. salubris & puri sanguinis hominem faciamus. Hinc Universali suæ Medicinæ hoc adscripserunt, quod non solum omnes imperfectas, ut Cholericas, Melancholicas, & Phlegmaticas hominum complexiones in Sanguineas commutet, sed etiam omnia imperfecta, immatura, crassa, & ignem fugientia Metalla in purum Aurum transmutet. Si enim Medicina aliqua tantarum est virium, ut omnes Complexiones in Sanguineam convertat, necessariò etiam omnia imperfecta Metalla: ut Saturnum, Jovem, Martem, Venerem, Mercurium, & Lunam in Aurum transmutabit.

Quandoquidem verò experimentis sæpius factis comperi, dictam meam Medicinam sive Tincturam Nitri omnis generis pilos, ut albos, fuscos, nigros, (nigros inquam, quod multis impossibile videtur, & tamen verum est; Nam albos pilos flavo colore obducere vulgò notum est; Nigros vero colore flavo, aut rubro tingere magnum est secretum) & etiam alios colores nullis exceptis, aureo colore imbuere soleat, & quidem adhuc immaturam & fugacem naturam obtinens; mihi tandem persuadere ausus sum, si ad fixam & constantem naturam deduceretur, fieri non posse, quin etiam imperfectis Metallis Auream perfectionem & naturam collatura esset. Sed ob nimis teneram ejus naturam, ignis carbonum maximè impatientem, accuratius rem pensitavi,

& animadverti, quod quidem fieri possit, licet nunquam mihi illud perficiendi tempus commodum hactenus oblatum sit. Quo autem pacto illud perfici posse putem, non possum, quin Christiano amore motus Proximo meo patefaciam.

Quamdiu non consideravi verba Angeli in sepulchro Christi dicentis, quid vivos apud mortuos quæritis, atque ideò fœtida sepulchra pervestigavi, in quibus vitam reperire non potui? Deus tandem clementibus & misericordibus suis oculis me respicere dignatus est, & in rectam viam deduxit, ut sepulchris & mortuorum monumentis relictis vitam apud vivos, & non apud mortuos inquirere cœperim.

Deus solus unica est, & æterna vita, quæ nobis exoptatum Solem, tanquam Dei ministrum aëris auxilio largitur. Coquamus, assemus, elixemus, & laboremus, quantum, & quocunque modo velimus, vivi tamen aliquid nunquam inveniemus, nisi ex *Sole* Dei Omnipotentis servo & ministro, aut instrumento. Paramus nobis Medicamenta viribus destituta, externis coloribus splendentia, intus mortua, & veneno plena, quoniam à rebus vitâ carentibus nihil auxilii expectandum erit.

Siquidem igitur nobis ipsis vitam non dedimus, nec eandem sine unicâ illâ Vitâ supernè ad nos veniente contra mortem tutari possumus, par quoque est, ut fœtido sterquilinio omisso,

omiſſo, nos ad purum, & vivificantem fontem Dei, tanquam omnis vitæ centrum recipiamus, & vitam à Sole, tanquam Univerſalis Aulæ creatæ Magno Magiſtro petamus. Modum hoc efficiendi paucis revelabo.

Si ingenii noſtri viribus adhibitis totum hoc negotium accuratè perpendamus, ante oculos verſari cernimus, nullam alibi vitam aliam reperiri, quam Univerſalem illam, quam Deus Soli indidit, & Sol aëris adjumento ad nos emittit. Periculum quis faciat, quibuſcunque modis voluerit, hoc ipſum veriſſimum comperiet. Si herbam aut animal in clauſo vitro, quò aër penetrare non poteſt, putrefacere volueris, in putrefactione quidem vermes naſcentur, ſed vitâ tàm diu carentes, donec vitro aperto ex aëre vitam & motum accipiant. Herbas, aut animalium carnes conciſas, aut contuſas vitro ſi incluſeris vitrumque in calido fimo equi, aut etiam calidâ aquâ aliquandiu conſervaveris, herbæ, aut carnis proprietati convenientes vermes naſcentur, ſed tamen vitâ deſtituti, qui aperto vitro ſe movere incipient, atque vitâ acceptâ prorepent, majores evadent, atque alias formas aut figuras adſciſcent. Repone alicubi in loco calido doliolum vino ſemiplenum, aperto ſupremo foramine, ut putreſcat, & aceſcere incipiat: Vapor adſcendens in tenacem ſe colliget materiam circa foramen illud, daturam parvos vermiculos, illis, qui ex caſeis prodeunt, non abſimiles, qui tandem

ob calidum aërem vivent, & prorepent. Si operculo foramen texeris, omnes vermiculi rursus morientur, quia privantur aëre, ex quo vita oritur. Operculo rursus dempto, aëreque recepto iterum prorepunt, & aërem sequentes ex dolio evadere conantur: extra quod si aliquod saltem horas morati fuerint, ac plenum aërem senserint, adscitâ aliâ formâ alas nanciscuntur, atque avolant, quod sine aëre fieri nequit, cum sine eo vitam habere nequeant.

Terra seminibus consita tegatur, ut aër ipsam penetrare nequeat: Hoc excluso nihil proferet. Esto planta aliqua, quæ ex terra crescendo jam emersit; Si aërem ipsi ademeris, à crescendo desistens planè evanescet, & pessum ibit.

Undè satis superq; patet, omnis vitæ ortum aëri acceptum esse ferendum, quam vitam illam ipsam prius in aëre Sol operatus est, ac ars iterum ex eodem magnetico quodam modo extrahere, ac visibilem, palpabilem, & sensibilem reddere novit.

Non omnis aër mera vita est, sed vitam hanc ipsam in se dispersam continet, sicut aqua multa quæ parum Salis complectitur, ipsa visibilis, & Sal in ipsa invisibilis existens: Pari omninò ratione in hominum, & cœterorum animalium corporibus vita dispersa, & invisibilis in sanguine domicilium suum habet, adeò ut sine ipsa totum corpus immobile & mortuum esset, & maneret. Quando autem homo aut animal aliud in libero aëre versatur, per attrahentem spiritum magneticâ & sym-

ſympatheticâ quâdam vi, & virtute aëris tantum quidem attrahit, quantum cordi, tanquam centro, receptaculo, ſeu domicilio vitæ, ad ſpiritualis vitæ nutritionem opus eſt: ſed quod reliquum, & inutile eſt, per efflantis ſpiritus vires Antipatheticas rejicit. Sic nullus homo, nullum animal, nulla herba, nullum minerale, ſi hic vitæ cibus ipſi ſubtraheretur, vivendi, & creſcendi facultate frui poſſet. Quod cum ita ſe habeat, ac aliter eſſe nequeat, neceſſariò conſequitur, quod in nullis clauſis vaſis, ut plerunque vulgò fit, vera Univerſalis Medicina parari poſſit.

Aſpiciatur quæſo Saliſpetræ ortus & generatio, cujus corpus nihil aliud eſt, niſi Vegetabilium, Animalium, aut Mineralium Sal Eſſentialis, qui ex aëre ignem ad ſe attraxit, ut vulgo notũ eſt.

Quia igitur omnes Sales, ignis & aëris ope, in ardentem & vivum Salempetræ converti ſolent, idemque ſine aëre nemo efficere valet, meritò nobis inde tantum addiſcendum eſſet, ut & noſtra medicamenta per aërem viva reddere conaremur. Nam medicamentum vitâ deſtitutum pari ratione morbum debellabit & deſtruet, quâ Sal communis montem dejiciet, & ex ſuo loco deturbabit, niſi prius aëris ope quaſi animatus, & in ardentem, ac vivum Salempetræ tranſmutatus fuerit. Verè igitur & per experientiam dico, quod omnis creſcendi facultas, omnis tranſplantatio, & omnis vita aëri ortum ſuum debeat, & ſine hoc cuncta mortua ſint, & maneant.

Aërà Sole vitalem cibum accipit, & Sol à Deo omnis vitæ Centro, & Principio originem ducit. Quando igitur desiderium nos tenet vitalem illum cibum artis operâ ex aëre extrahendi, & in visibile corpus redigendi, Magnetem quendam exponamus necesse est, qui eum ad se trahat, sensim eodem augeatur, & quantitate ac viribus accrescat, quemadmodum herba ex terrâ, aut animal ex cibo & potu incrementum sibi capit, roboris & magnitudinis augmentum sibi adjungit, atque tandem sui simili se associat, genusque suum multiplicat.

Homo quidem sine intermissione aërem pulmonis operâ ad se attrahit, sed cor cibum vitalem tantùm ex eo retinet, ac reliqua omnia tanquam excrementa rejiciendo remittit. Corpus ipsum etiam quotidie cibum per os assumit, sed stomachus nutrimentum ex eo separatum ad hepar, ut in sanguinem & carnem redigatur, transmittit; excrementa verò, ut stercus, urinam, sudorem, & similia per consuetos meatus ex corpore ablegat. Ità etiam cum Medicamento nostro comparatum est. Prout Magnetem exponimus, pro eo etiam sibi simile quid ex aëre attrahit, ut sibi vitam, vires, & potentiam comparet. Fieri autem nullo pacto potest, ut vitalem illam virtutem & facultatem solam puram & mundam extrahat. Sed unà etiam inutilem & aquosam quandam essentiam illi associatam sibi adsciscit, quæ, ut superfluum excrementum, rursus discedat, &

solam

ſolam vitam Magneti, ut eâdem augeatur, & roboretur, concedat oportet. Si Vegetabile deſidero; vegetabile ſemen mihi ſerendum, aut talis magnes ponendus eſt, qui ſui ſimile ex aëre ſibi adjungat. Animal deſideranti animale ſemen aut Magnes animalis adhibendus eſt. Si illud, quod quæro purius & conſtantius eſſe debet, neceſſe eſt, ut purior Magnes exponatur, cum ſemper ſimile ſimile quærat, amet, vincat, & conſervet, ut Veterum Sapientum verba teſtantur: Natura Naturâ gaudet, Natura Naturam vincit, Natura Naturam retinet.

Itaque cum Propoſitum noſtrum eò tendat, ut inviſibilem vitæ facultatem, potentiam, & virtutem Solis ex aëre extrahamus, concentremus, atque corporalem, viſibilem, & palpabilem reddamus, oportet ut etiam de apto ſemine aut Magnete, nobis proſpiciamus, qui eam cupidè attrahat, vincat, & retineat. Tales Magnetes ſunt purum Aurum, & puriſſima anima Salispetræ, utraque Solis vivificantis vera proles.

Idcircò quia ſimile ſui ſimile appetit, amat, & quærit, cibo vitali etiam venenatus magnes non eſt objiciendus. Nam prout Magnes ſuâ naturâ comparatus eſt, ita etiam ex aëre bonum aut malum attrahit. Notiſſima res eſt Hortulanis, triticum nil niſi triticum proferre, & ex zizaniis zizania oriri. Si ſemen ſive Magnes aureus fuerit, & purus, etiam puras, & aureas virtutes ſibi adſciſcet, & iiſdem augebitur.

Modus

Modus ponendi Magnetes, ut Astrales, & vivificos Solis radios per solutiones & coagulationes capiant, & visibiles, Corporales, palpabiles, & in igne constantes reddant.

CONficiendas tibi ex vitro curabis aliquot humiles, & fortes pateras, aut testas, quibus Magnetem tuum dimidii digiti lati altitudine impositum, & humidum Soli exponas, ut inutilis humiditas evaporando consumatur. Quo facto, & quidem aliquot horis æstivo tempore, præcipuè si nimium Aurei liquoris in pateras infusum non fuerit, nocturno tempore easdem pateras siccatum Salem continentes frigidis, & humidis radiis Lunaribus expositas sub die relinque, ut Sal Magneticâ suâ virtute ex aëre aquam, universalem aëris cibum secum vehentem sibi associet, & dissolvatur. Solutio hæc interdiu rursus Solaribus radiis apponenda, qui inutilem humiditatem denuò exsiccabunt, relicto in Sale vivifico, & aureo illo semine, quod nocte frigidâ & aëre elicitum sibi cum humiditate viribus carente adscivit. Sal à Sole superfluâ suâ humiditate privatus noctu iterum Lunaribus radiis exponatur oportet, ut Astrales virtutes denuò imbibat, & rursus in aquâ imbibitâ solvatur, ut proximo die, sicut priore, Soli expositus ejusdem viribus de novo animetur. Iterandæ autem hæ expositiones, in vicissitudines tamdiu, ac toties, donec Magnes dictus,

dictus, postquam interdiu à Sole siccus est redditus, noctu ægrè aliquid humiditatis ex aëre admittat, & siccus laminæ candenti impositum sine fumo libenter fluat. Tunc enim Medicamentum constans & fixum ad usum adhiberi potest.

Mutua hæc solutio & coagulatio aliquot centenis vicibus iteranda, ac quævis solutio & coagulatio pro die Philosophico habenda est. Si æstivo tempore in nostris regionibus Solis Calor operationi huic efficiendæ non sufficeret, idem vitris, aut metallicis instrumentis concentrari, & efficacior reddi potest, ut coagulatio maturetur. In defectu talium instrumentorum, ac calore Solis nubium rarò intermissarum frequentiâ obducti dictam coagulationem etiam nostro igne communi facilè expedies, & quidem infallibili, & celeriore operatione, quàm illa, cui Solis exsiccatio semper expectanda est. Ac licet hæc, quæ in Sole fit longè melior censeatur, invisibili tamen modo Sol unà cum nostro communi igne operatur, quando Sole nobis uti non licet. Ubicunque enim aër est, ibidem etiam invisibilis Sol, & occulta vitæ vis & potestas reperitur. Cui Solis usurpandi in hâc operatione facultas datur, is alium ignem non adhibeat: Communis ignis usus requirit peculiarem fornaculam ferream, cui pateræ exsiccandæ imponantur. Calor tamen non infernus esse debet, ut inferiorem paterarum superficiem feriat, sed supernus, qui materiam tantum supernè tangat, ac leniter & pedetentim

humi-

humiditatem consumat: aliàs enim timendum esset, ne liquor ebulliendo dispergatur, si calor inferiorem paterarum superficiem tangeret. Fornacula furni instar fornicato opere ex ferreis laminis formanda & lapideæ fornaculæ imponenda, ostiolo præfixo, ut nec pulvis nec cinis involare queat, atque ità duarum aut trium horarum spatio sales exsiccentur. Ut autem nox expectari non debeat, arcula lignea supernè tecta, circumcircà verò foraminibus perforata in promptu sit oportet, quam cum pateris impositis tempore hyberno in frigido aëre, æstivo autem in cella aliqua humida colloces, ut ex aëre Sales vitæ cibum attrahant. In omnibus enim Mundi locis, in uno tamen copiosius, & melius, quàm in alio, occultam illam vitæ facultatem & virtutem, sine qua nec homines, nec animalia vivere possunt, in se continet. Quò purior autem aër erit, eò purior, & præstantior etiam Medicina acquiritur. In Metallorum transmutatione non magni interest, quemcunque aërem nanciscaris, cum ad eam operationem quivis aër aptus sit. Hìc modum figendi tantummodò manifestamus; Cœteroquin neminem fugit, purum & mundum aërem crasso & impuro præstare, & Solis calorem prunarum aut lampadis calori excellere.

Thomas Aquinas scribit, quod Deus cum Angelis suis nostro igne carere nequeat, atque eam ob causam à Paracelso carpitur, quod Deum Elementari igne carere non posse dicat. Bonus vir-

rem

rem non tàm accuratè expendit, hunc tantummodo scopum propositum habens, ut ignis ad nostræ Medicinæ coctionem necessarii puritatem nobis ob oculos poneret. Unde satis constat, eò melius Medicamentum fore, quò purior ignis extiterit. Crassior enim aër crassiorem etiam sanguinem gignit. In hac autem operatione aër nostri aurei Salis cibus & potus est, aqua verò sive Phlegma calore abigendum est superfluum excrementum, aëri isti adhærens. In multiplicibus autem illis Solutionibus, & Coagulationibus Magnes semper aliquid boni secum retinens, & pondere & viribus accrescit, ac constantiam acquirit, sicut homines & cœtera animalia cibo & potu augentur, staturâ crescunt, & se multiplicant. Totum igitur opus Medicamentum hoc Regium secreti ignis Solaris ope conficiendi primò consistit in bono, puro, & aureo Magnete, ac posteà in vera Solutione & Coagulatione. Hæc si nimis celer, & fortis fuerit, calor nimius attractum vitæ cibum nimis tenerum combureret, & consumet: Illius si modus non habeatur, idem usu venit, quod in quâvis terrâ nimis humida, atque idpropter fructus non ferente; adeò nihil magis necessarium est, quàm ut non modo in Solutione, sed etiam in Coagulatione mediocritatis debita ratio habeatur.

Atque hic est modus ille, quo Solutio in aëre, & Coagulatio in Sole peractæ Mercurialem aquam, & Mineralia Sale parata in fusiles & tin-

gentes lapides redigunt, quod in vitro clauso ignis communis sine aëre nunquam præstabit. Hoc nota, & crede, & fac, & eveniet tibi illud quod credidisti.

Cœnâ finitâ, & haustu bono, aç frequente expedito tempus est, ut se cubitum hospites recipiant, quibus nonnulli solent postremum haustum exhibere, ex bonis & utilibus herbis paratum, inter quas amariores, ut orificium stomachi claudentes, & quietum somnum conciliantes ut plurimum primas tenent. Ejusdem ritus observandi causâ amarorum ejusmodi haustuum cupidis unum hîc apponam, quem pro lubitu suo parare & ad usum adhibere poterunt.

℞. Aquam Fortem communem, quam per cucurbitam, aut Retortam rectificabis, ut clara & limpida fiat. In eâ solve Argenti per cupellam mundati in calidâ arenâ coquendo tantum, quantum dissolvi se patietur. Notandum verò hîc, quod in Argento nullum omninò debeat esse Cuprum, quod Medicamentum corrupturum esset. Solutioni infunde fortem, & benè rectificatum Spiritum Salis Ammoniaci, tamdiu donec Aqua Fortis non amplius ebulliat. Postquam strepitus omnis cessaverit, dimidia fere pars Argenti præcipitata in fundo residebit, cineris colorem habens. Vitrum pone in arena, ignem subjice, & præcipitatum Argentum cum menstruo coque, quâ coctione adhuc aliquid argenti ex menstruo secedet, ac reliquum in ipso menstruo mane-

manebit, quod per chartam bibulam trajiciendum, trajectum sensim in arena evaporandum est, ut omnis humiditas abstrahatur.

NB. Aqua Fortis & Spiritus Salis Armoniaci liquidus & fugax Sal evaserunt, amissâ suâ indole corrodente, qui Sal Argentum invertit, & suam amaritudinem elicuit, ità ut uterque sal in unum salem amarum & viridem conversus fuerit. Hic affusione & abstractione aquæ solvendus, per filtrum trajiciendus, & mundandus est, qui purior redditus in aëre frigido in viridem & amarum liquorem se resolvit, cujus gutta una totum vitrum vino repletum amarum reddere potest. Vinum verò hoc haustum stomacho prodest, somnum quietum efficit, flatus dissipat, & alvum laxam conservat.

NB. Hic Sal vitra, & alia vasa vitrea argento obducit, quod non evanescit, sed constans manet. Alia item haud parvi momenti in Alchymiâ præstat, sicuti in aliis meis scriptis, præcipuè autem in secunda Parte Furnorum ultimæ editionis, cerni potest. His hospites cubitum dimitto, ut ad multam lucem usque dormiant.

Posteaquam illuxit, & hospitum nonnulli ex hesternâ crapulâ siti laborant, & calore nimio vexantur, aut frigidâ fontis aquâ, aut cerevisiâ tenui, aut tenuiore, & acidiore vino hepatis inflammationem nimiam exstinguere conantur. Alii ex Pharmacopolio allatum Syrupum Rosarum, aut violarum aquâ fontanâ miscent, &

exhauriunt. Sed fervidum hepar subito horrore concutitur, stomachus refrigeratur, & tenacibus humoribus obducitur, ac plerumque debilitas membra, scabies cutem, & frigidæ febres stomachum occupant. In ejusmodi potuum locum hîc substituam potionem refrigerantem longè meliorem, quæ valetudini, non ut illi, oberit sed proderit.

℞. Libram unam non illius flavi, ac non rectificati, & in officinis venum expositi, sed nostri benè rectificati Spiritus Salis, in quo solves tartari tantum, quantum leni coctione sibi associare poterit. Solutionem per chartam bibulam trajice, ut omnes feces, quæ Tartaro adfuerunt, in charta maneant, & ipse Spiritus Salis cum tartaro limpidus, & clarus transeat, ipsâ Solutione in frigido loco diu stante Tartari pars in Crystallos concrescit, pars cum Spiritu Salis mista manet, eidemque gratam vini aciditatem conciliat. Tartaro albo existente Spiritus idem albus manebit. Ruber Tartarus eundem rubini colore tingit. NB. Spiritus Salis tali naturâ præditus est, ut omnes colores pulchriores reddat. Rubrum igitur Tartarum ad hanc potionem conficiendam usurpare potes, ob pulcherrimum colorem, quo Spiritus Salis tingitur, quoad vires, & virtutes tamen inter utrumque nulla differentia reperitur.

Spiritus hic Salis Tartarisatus admodum suavis est saporem vini subacidi obtinens, cujus aliquot guttæ in frigida aqua fontana haustæ nec

hepati

hepati nec jecori damnum inferent, & non solùm sitim sedabunt, sed etiam cibi & potus appetitum in stomacho excitabunt. Eapropter præ cæteris omnibus remediis sitim sedantibus commendo hunc Spiritum Salis Tartarisatum æstivo & hyberno tempore tutò & jucundè adhibendum, quoniam immatura & acida vina aquâ fontanâ, & saccharo hausta stomachum refrigerant, tenacibus humoribus obruunt, appetitum debilitant, & concoctionem impediunt. Utilissimus igitur Spiritus noster iis, qui multum cerevisiæ quotidiano potu exhaurientes semper ejusdem parum cerevisiæ miscere debent. Reddit enim cerevisiæ vini aciduli saporem, sedat sitim, ut tantam cerevisiæ crassæ copiam ingurgitare non necesse sit, discutit flatus, pellit urinam, prohibet calculi generationem in vesica, & renibus, ac ibidem generatum solvit, consumit, ac pedetentim cum urinâ inde exturbat. In potu quotidiano exhibitus Febri laborantibus, Podagricis, Calculosis, & Scorbuticis jucundum & utile est remedium. De ejus usu in meo tractatu, cui titulus, Navigantium consolatio, plura invenies.

Præter hæc omnia est adhuc, quod hîc moneam, Spiritus Salis ope pluribus abusibus noxiis remedium adhiberi posse; cumprimis verò in acidularum usu, ad quas nobilissimi temporis, ac pecuniæ jacturâ, & muneris injuncti, reifamiliaris, uxorum, liberorumque neglectâ homines sæpè longinqua itinera suscipiunt, solâ valetudi-

nem pristinam recuperandi spe, cum tamen Spiritus Salis probè cum Tartaro paratus, cum pauco chalybe imposito, idem illud, quod acidulæ, præstiturus sit, ac tanti sumptus, temporisque irreparabilis jactura caveri possint, & quisque domi suo munere domesticisque negotiis fungi ac nihilominus Spiritus Salis Tartarisati, & Chalybeati omnes epatis ac lienis obstructiones reserantis auxilio curari queat.

Sed quid multa dicam? Forsan sunt, quos aliæ causæ ad acidulas quotannis tanto desiderio visendas impellunt. Quibus domi sunt gannientes vetulæ, ægrè ferentes, si maritus domo exeat, & indesinentibus objurgationibus, & maledictis maritos vexantes, annon graves diverticula quærendi causas habent?

Amant & acidulas & thermas juvenculæ, quæ apud suos effœtos & annis obsitos maritos tantum caloris non offendunt, ut gravidæ evadere queant. In acidulis autem & thermis occurrunt quovis tempore agiles, robusti, & succi viriumque pleni socii, qui proculdubio eum in finem in loca dicta se recipiunt, ut frigidis illis mulierculis calida suppositoria, & emplastra uterina fertilitatis conciliandæ, & sterilitatis amovendæ causâ applicent. Ejusmodi mulierculis pristinæ valetudini restitutis, & domum reversis post aliquot menses mariti comperiunt, quàm efficax acidularum usus in uxoribus suis fuerit.

Plerumque etiam usu venit, ut hero, ac herâ domo

domo absentibus à liberis, servis, & ancillis res familiaris ridiculè administretur, & proverbio Germanico vulgari locus detur: Cato peregrè profecto, & absente mures in scamnis saltant; Rei veritatem frequentia exempla testantur. Ideò longè satius est domi acidulas bibere, ut ità pecuniæ & tempori parcatur, ac multa mala caveantur. Hæc de potu refrigerante sufficiunt.

Cum igitur bonum caseum & butyrum, bonum condimentum, & haustum egregium in promptu habemus, nonne contenti esse possemus? Ac meo quidem judicio satis multa in uno convivio apposita sunt. Sed possent nonnulli dicere; Benè se res habet. Glauberus non solum bonos cibos, sed etiam caseum, butyrum, condimenta & pretiosum vinum parare nos docet, sed non dicit, unde lac ad caseum & butyrum, saccharum, & aromata ad condimenta, & uvæ ad vinum conficiendum necessariæ nobis petendæ sint. Quid nobis commodi parit, si caseum, & butyrum parare sciamus, & vaccis lac subministrantibus careamus? His satisfaciemus demonstrando, quod & ipsum lac, pretiosaque aromata, & optimæ uvæ Salis auxilio acquirantur.


In Tractatu meo de Miraculo Mundi, ut & ejusdem Continuatione, & illo de Naturâ Salium satis dilucidè ostendi, quod omnis crescendi & nutriendi facultas omnium nascentium & mobilium creaturarum ex uno & Solo Sale originem suam sumant, ac non modo Vegetabilium, &

animalium, sed etiam Metallorum emendatio ex eodem petenda sit.

Siquidem verò hæc Metallorum emendatio difficili fide admittitur, & ægrè admodum comprehenditur, imò planè fieri non posse censetur, reprimere me non potui, quin veritatem toti mundo manifestem, & demonstrem, sicut Metalla in visceribus terræ per Salem longo temporis progressu maturantur; Ità eadem etiam extra terram artis beneficio & auxilio per Salem breviore tempore, maturari, mundari & emendari posse, non modò per viam humidam, sed etiam siccam & quidem uno igne, unâ fornace, & uno servo, quem hìc Rusticum reditus annuos pendentem appellabo. Quando ejus venter carbonibus indesinentibus repletur, aratra ipsius arare nunquam cessant, adeò ut singulis septimanis, mensibus. & annis hero suo debitum conductionis pretium, Aurum puta & Argentum, quibus omnia reifamiliari sustentandæ necessaria comparantur, solvere possit.

Quanquam autem hic, quem descripturus sum, non est ille Rusticus redemptor, de quo in Tertia Parte Prosperitatis Germaniæ verba feci; tamen parvus est, ignorantibus tantummodò monstraturus, & fidem facturus, quod ea, quæ dico, fieri possint, & quod adhuc alius melior & ditior sit. Hic autem pro parva vaccâ habendus, ad minimum pro necessariis usibus lac, butyrum, caseum, si non etiam saccharum, aromata,

& vi-



A. EinKleiner Zinßbaur mit einem Pflug. B. Ein Zi:
ußbaur mit 3. Pflüge. C. Deß ZinßbaurenHuet. D.
Deß Zinßbauren 3. Pflüge. E. Die Register dardurch
daß Feür regiret wirt. F. Daß eingesetzte Glaß
mit seinem Helm vnd Recipienten. G. Die Thüer
Zu dem Röster, H. Daß Aschenloch. I. Ein
Körblein mit Kohlen.

& vinum in mensâ apponenda ſubminiſtrante. Si cui nimis parvus & exiguus fuerit, ille ſibi de meliore proſpiciat, & hujus conſideratione diſcat, quo pacto tales ruſtici alendi, ut reditus debito tempore ab ipſi exigi queant. Parvus igitur ille ruſticus cum ſua vacca parva lac ſuum præbente hîc in medium prodit.

A. Parvus Ruſticus redemptor cum uno aratro. B. Ruſticus cum tribus aratris. C. Ruſtici pileus. D. ejuſdem tria aratra. E. Regiſtra regendo igni deſtinata. F. Vitrum impoſitum cum ſuo alembico & receptaculo. G. Janua craticulam claudens. H. Cinerum foramen. J. Corbis carbonum plenus.

Primò boni Spiritus Salis aliquot tibi libras parabis eo, quem præſcripſi, modo, per Vitriolum, ſine quo nihil efficiet, quoniam ex hoc ipſo in præparatione Spirituale aurum, ſeu Spiritum tingentem ſecum avehit, qui in operatione ſuſcipienda unà cum ſpirituali Auro, quod in Metallis inferioribus latet, figitur, & ſe manifeſtum reddit. Deinde extrues fornacem, cui nomen Henrici Pigri à Chymicis, à me verò parvi Ruſtici Redemptoris, aut reditus annuos pendentis datur; extrues inquam eâ magnitudine quâ volueris, ut e. g. turrim carbones continentem altitudine circiter virilis ſtaturæ, & latitudine interna cubiti unius, ita tamen ut ſuperius & inferius anguſtior, in medio verò laxior exiſtat. Huic adjunges duas aut tres fornaculas, aratrorum ru-

sticorum nomine hîc insignitas, quæ vasa metallis per Salis Spiritum maturandis destinata recipiunt, & assiduum calorem, quo nunquam cessans coctio juvatur, ex carbonum turri accipiunt. Cuncta nitidè & aptâ proportione fac construas, ut ignis bene ac commodè regi, & ad minimum per 24.horas sine ullâ inspectione, & ulteriore actione conservari queat, ut adjuncta figura ob oculos ponit.

Vas, in quo Spiritus Salis cum Metallo assiduâ coctione exercendus est, ex ejusmodi materiâ constet oportet, quæ nec ignis calore dissiliat, ne acredine spiritus exedatur, quale in laboratorio meo cernitur, ut plurimum sine rupturâ totum annum durans, & Spiritum Salis conservans. Cuncto apparatu expedito Rustici venter carbonibus usque ad collum replendus, caputque pileo tegendum, ut ignis nunquam exitum inveniat, nisi per inferiora foramina, per quæ calori in fornaculas adjunctas introitus patet. Vasa verò Spiritu Salis atque Metallis ad hanc operationem aptis implenda, alembicisque suis tegenda, ut ascendentes Spiritus inter coquendum recipiantur, & conserventur. Postquam cuncti Spiritus Salis ascenderunt, iidem iterum materiæ in Cucurbita exsiccatæ reddendi sunt, atque iterum per destillationem eliciendi. Hæc operatio & cohobatio sæpius iterata fugax, & Spirituale Argentum, & Aurum maturat, & figit, ut corporale evadat. Spiritus Salis tamen solus aurum largiri

largiri non poteſt, ſed argentum ſolum maturat; additis autem aliis Salibus etiam aurum dabit. Ad Argentum figendum Spiritui Salis etiam adjungi poteſt Sal communis, ut Spiritus Salis in digeſtione fortis fiat, imò tandem adeò fortis, ut in aëre frigido etiam fumet, cui ideò præter Salem etiam parum aquæ adjungi poterit. Hinc in unius diei digeſtione 6. libræ Spiritus Salis ſeptem libras ejuſdem dabunt, quibus ſi libram ſalis, & aquæ libram rurſus adjunxeris, 8. libras Spiritus Salis habebis, quæ iterum unius libræ Salis, & unius libræ aquæ additione augeri poſſunt, adeò ut Spir. Salis aquæ & ſalis additione ſemper repetitâ perpetuum incrementum ſumat, & Metallum quotidie maturius red atur, tantum abeſt, ut maturationi ipſius aliquid decedat. Nam agens & patiens quotidie augentur, & meliora evadunt tàm in quantitate, quàm qualitate, quod profectò præſtantiſſimum opus, à nemine quàm à me tàm manifeſtè deſcriptum.

Sed ut melius à quovis intelligar, modum quem unuſquiſque imitari poterit, hîc ſubjiciam docentem, quomodo ſolo Spiritu Salis non Aurum, ſed Argentum largiente operatio dicta cum cupro inſtituenda ſit.

Pro arbitrio tuo magnum aut parvum tibi vas conficiendum curato ex tali materia, quam Spiritus Salis corrumpere aut excedere nón poterit. Huic infunde Spiritus Salis tot libras, quot librarum capax erit, & quot hæ fuerint, totidem lami-

laminarum Cupri impone uncias, iisque duplo plures salis adde uncias, adeò ut binæ Salis uni unciæ Cupri respondeant. Spiritus Salis usque ad Cupri & Salis siccitatem elicitus, & quantitate aliquantum auctus erit fortior, quia ex adjuncto sale incrementum, & majores vires sibi acquisivit. Hunc iterum affunde Cupro primâ destillatione penitus soluto, & Spiritum Salis igne subjecto coque, ut Cuprum cum Sale, qui in primâ destillatione à Spiritu avectus non fuerat, iterum solvatur. Fornace frigefactâ vitrum ex arena exime, & Spiritum Salis cum Cupro soluto per chartam bibulam transmitte, ac calcem albam in charta residuam aquâ elue, exsicca, & fixo lixivii sale funde; invenies Argenti puri tantum, aut etiam aliquantò plus, quàm Cuprum Naturâ suâ secum habuit. Viridem Solutionem transmissam remitte in cucurbitam, prius probè elotam, cujus si fuerint 6. libræ, adde iisdem Salis libram unam, & aquæ dimidiam, ut ita sint 7. libræ cum dimidiâ, si cucurbita tot librarum capax fuerit; sin minus, materiæ etiam minus impone. Ex eâ in arenam repositâ abstrahe Spiritum Salis addito Sale usque ad siccitatem, & quidquid incrementi suprà 6. libras sumpserit remove, atq; aquæ tantum sex illis libris residuis adde, quas iterum materiæ siccæ in cucurbita reddes, & destillando rursus ad siccitatem ejusdem materiæ elicies, eâdemque ratione rursus affundendo, & eluendo eandem operationem iterabis. Si in secunda aut tertia destilla-

destillatione Spiritui salis unius libræ augmentum accesserit, plus Salis in cucurbitam immitte, & Spiritus Salis sex libras additâ aquâ rursus auge; atque affusiones & abstractiones dicto modo repete, semper à sex libris incrementum sumptum removendo, & salem, postquam prior ablatus fuerit, renovando, donec in 5, 6, 7, 8. aut 10. destillatione tantum Spiritus lucratus fueris, quantum in primâ destillatione adhibuisti. Tota autem operatio in eo consistit, ut ita opereris, ne quid per fumum avolet, quandoquidem incrementum omne ex addito Sale & aquâ oritur. Dicti lucri ubi compos factus fueris, sine novi Salis additione, aliquoties residuo in cucurbita Sali Spiritum Salis affundere & inde toties abstrahere potes, donec ferè totum illum Salem secum avexerit. Quo fere penitus mutato Spiritu Salis cucurbitæ infuso reliquam Cupri & Salis massam solve, cucurbitam ex arenâ frigefactâ exime, Spiritum per chartam bibulam cola, pulverem album in charta residuum elue, sicca, & , ut anteà, sale lixiviali funde, habebis Argenti puri tantum, quantum Spiritus Salis tali tempore ex Cupro figere potuit. Viridem Spiritum Salis cum novo Sale addito in cucurbitam repone, laboresque dictos decies aut duodecies repete, semper Spiritus Salis augebitur, & fortior reddetur, Cuprumque rursus Argentum expromet.

Laborem hunc pro arbitrio tuo continuabis quamdiu volueris, semper enim Argentum nancisceris,

ciſceris, & Spiritus augmentum habebis. Nam & Agens, Spiritus Salis puta, & Patiens, videlicet Cuprum, & qualitatis & quantitatis incrementum ſumunt. Quæritur autem, undè illud Argentum proficiſcatur? Quod primâ vice ſe dedit, illud Spiritui Salis tanquam ab ipſo factum, ferre acceptum nolumus, ſed dicimus, quod anteà Cupro adſuerit, & cum ipſo ex venâ ſuâ eliquatum fuerit, quod etiam fieri poteſt. Nullum enim Cuprum reperitur quod non aliquid Argenti ventre ſuo reconditum habeat, ſed tamen à Metallorum fuſoribus accuratè eliciatur. Nos nihilominus primum illud Argentum primâ operatione ſeparatum adhuc in Cupro ex venâ reſiduum fuiſſe ſtatuimus, ac relictum in eo à fuſoribus, ſed à Spiritu Salis ſeparatum, & non factum. Spiritus Salis naturâ ſuâ Argento inimicus illud non ſolvit. Undè ergo illud, quod ſecundâ, tertiâ, & quartâ vice ſeipſum obtulit, cum tamen in primâ ſolutione, omni Argento penitus ablato, nullum planè in eo relictum, ſed per filtrationem omne ſeparatum ſit? Quid hic aliud dicere poterimus aut audebimus, quam quod credamus, & fateamur, quam quod Spiritus Salis ex Cupro illud operatione ſuâ effecerit. Meritò autem nobis hoc mirum videri non deberet, cum in terra annuatim omne Cuprum naturâ ſuâ per Salem in Argentum vertatur, & ab initio non ſolum Cuprum, ſed & cœtera Metalla omnia Sales fuerint, non quidem tales, quales in culinis ad coquendum

dum adhibemus, ſed ejuſmodi, quales à Sulphureis Aſtris impraegnantur.

Quoniam de ſolo Cupro in praeſentia agimus, ideo reliqua Metalla non attingimus, ſed hoc tantum aſſerimus, quod rarò Cuprum ex terrâ effodiatur, cui non adſit Vitriolum, aut in Vitrioli defectu Sulphur, Vitriolato ſale ſalitum. Etenim quovis Sulphure accenſo, ejuſque pinguedine conflagrante acer ſal liberatur, atque per fumum abit, ſapore igneum Vitrioli oleum referens, & magno alembico, ſub quo Sulphur accenditur, captivus factus. Acre hoc oleum in terrae venis apud mineras Agentis vices obit, & mineralia ac metalla magis ac magis maturat, ſed tardo admodum progreſſu, quo Natura vix mille annis eum ſcopum attingit, quem Ars paucorum menſium ſpatio aſſequitur. Agenti enim noſtro nulla impedimenta, ut lapides, ſilices, arenae, & terrae variae, quae in viſceribus venarum multiplices occurrunt, objiciuntur; adeò ut liberè, & abſque omni impedimento operationibus ſuis defungi queat; quibus accedit etiam externus noſter ignis, quo Agenti illi ſuccurrimus, & vires ipſius confirmamus, atque in aſſiduâ actione conſervamus.

Ex his omnibus unicuique videre licet, Naturae non adverſari, ſed omninò conveniens eſſe, quando ex Cupro Argentum Spiritus Salis operationibus maturamus. Quod autem hoc labore per Spiritum Salis & Cuprum quis repentinas divitias

divitias conquisiturus sit, non dicimus, sed hanc operationem eum in finem hìc descripsimus, ut rei possibilitas ex ea addiscatur, & credibile fiat, verissimum esse, quando scribimus, hoc, vel alio Agente, aliis atque aliis subjectis corroborato in similibus digestionibus, præter Argentum etiam Aurum ex minoribus Metallis elici posse, cujus quàm parum etiam fuerit, commodum tamen etiam afferre potest. Nam si semel tantum aliquot saltem Spiritus Salis libras confeceris, non est cur de novo conficiendo labores, cum in ipsâ digestione & maturatione Metallorum incrementa quotidiè sumens copiosè se offerat, & quidem sine alicujus momenti sumptibus, cum ipse Sal addendus etiam minimi constet. Si etiam ex puro Argento quod à Spiritu Salis intactum manet, cucurbitam tuam, in quâ materiæ tuæ digerendæ, paraveris, non est quod vereâre, ne vitrum frangatur; Accedit quod tale vas in fornace semper relinquere, & elicitum Spiritum mox iterum affundere queas, nec opus sit, ut vasis refrigerationem expectando tamdiu ab opere cesses. Fornaci verò, aut fornaculis addita carbonum turris verus ille est Redemptor Rusticus, cujus sustentatio nil nisi carbonum sumptus postulat, & qui tamen sine labore, sumptu & molestia perpetuum lucrum confert. Imò si rem rectè inspiciamus, & ipsorum carbonum impensas compensat Spiritus Salis quotidianorum laborum augmentis accrescens, qui pluris omninò venditur,

ditur, quam ipſi carbones emuntur, adeò ut omne illud Aurum, & Argentum, quod ex Metallis eruitur, gratis ſe offerat. Præterea ejuſmodi Metalla ad hanc operationem ſumi poſſunt, quæ plus Argenti, & Auri quàm Cuprum, expromere ſolent: quod adhuc copioſius fiet, ſi ejuſmodi Metallorum aliquot ſimul conjuncta ſolvantur, & digerantur, in quâ operatione unum in alterum agendo mutuam emendationem operatur, dum huic quæ deſunt, alterum ſuppeditat, & huic iterum adimuntur ea, quæ ſuperflua ſunt, adeò ut quaſi ſine omni ſumptu, uti dictum eſt, & exiguo labore mutua ipſorum emendatio promoveatur. Quicunque igitur Metallorum naturam, & proprietates cognitas explorataſque habet & novit, quæ ſibi invicem reſpondeant, & ſe invicem emendare ament, ac non ignorat, quodnam Agens Auro conveniat, ille Ruſtico ſuo ſolvendorum ſingulis ſeptimanis, aut menſibus redituum debitorum curam committet, atque hâc ratione Deo Creatori ſuo ſine impio fœnore ſerviet, proximo ſuo benefaciet, Diabolicâ illâ impiorum ſocietate, & grandi malorum turbâ ſe extricabit, atque vitam ſuam tranquillitate tranſiget; quod profectò Donum Dei eſt ſingulare, & ingens, ſi quis ad cognitionem talem pervenerit.

Sed non eſt, cur ſibi quis perſuadeat, ſi hujus artis & ſcientiæ compos foret; magnas Auri maſſas quotidie ex imperfectioribus Metallis ſe ſeparaturum eſſe, ut ita impiam Vitam tranſigere poſ-

 ſit.

sit. Nam primò quidem operam dabo, ne quem impium hujus artis participem reddam.

Secundò res tota consistit in benedictione Divina, uti scriptum extat; Paulus seminavit, Apollo rigavit, sed Deus benedictionem suam largitus est: Sine hac benedictione omnis labor frustrà suscipitur, quod Propheta David quoque innuit, dicens: Frustrà multo manè surgitis, atque multis curis onerati vos cubitum confertis, Panemque vestrum in molestiis viventes editis: Nam cui Deus est propitius, eidem in somno dona sua largitur. Porrò S. Paulus, Non est, inquit, currentis, aut volentis, sed Dei miserentis. Hinc impius, licet tantæ rei possessor, nihil tamen boni eâdem efficeret, si divinâ benedictione careret. Præterea hunc meum Rusticum parvum non ideò huc in scenam produco, ut ingentes thesauros alicui conferat, sed tantum largiatur, quo honestè vivere ipsi integrum sit. Nisi forsan aliquis divites venas, & mineras Metallicas nancisceretur, quæ multo corporali Auro abundarent, & hoc modo thesauros ingentes suppeditarent. Ex Metallis spirituale Aurum tantummodò continentibus tantum peti non potest, nisi verum pondus inveniatur, & cognitio acquiratur eorum Metallorum, quæ convenientiam magnam inter se habent, & juncta multum Auri expromunt: Aliàs præter honestum & mediocre commodum nihil aliud ex hac operatione acquiritur. Quæ verò Metalla inter se conveniant, & quæ ponderum vera sit

ra ſit proportio, non eſt quod aliquis quærat apud me, qui ipſe nondum me profiteor hujus rei expertum, & abſolutum artificem, & interdum divite ſucceſſu periculum facio, interdum verò minus conſequor. Ideò hîc viam monſtrare volui minora Metalla ope Salis maturandi, & quidem quaſi ſine ſumptibus; qui modus hoc tempore patefactus ſufficiat, ante me à nullo unquam (abſit verbis jactantia) revelatus, & in publicum tam apertâ patefactione productus. Quod ſi hæc ſeparatio tantum ad Aurum fixum, quod in mineris & Metallis abſconditum latet, adhiberetur, in omnibus tamen locis magnum acquiri commodum poſſet, cum nullus in mundo locus ſit, in quo terra, arena, & lapides non inveniantur corporale aurum continentes, quod omninò ſine ſumptibus præſcripto modo erui poſſet. Sed notandum hîc, quod ea etiam relegenda & inſpicienda ſint, quæ de Operationibus ejuſmodi ſeparatoriis in Tertia Parte Proſperitatis Germaniæ ſcripſi, & luculenter demonſtravi.

Porrò & hoc ſciendum eſt, quod hæc maturatio per ſiccam viam inſtituta plus commodi afferat, quam per viam humidam, eò quod in viâ ſiccâ Agens plus adjumenti habeat, quàm in viâ humidâ, in quâ copioſa ſemper humiditas adeſt. Uterque verò modus, ſiccus puta, & humidus ſimul uno eodemque igne expediri poſſunt, nec pluris conſtant, quàm ſi modus humidus ſolus uſurpetur. Turris enim illa carbonaria,

quæ Spiritum Salis in perpetuâ digestione conservare, & fornaculas adjunctas calefacere debet, in craticulâ semper candet, cui si vas cementorium sale & metallis repletum imponatur, non minus quàm fornaculæ adjunctæ, unius fornacis igne, atque eodem labore, & sumptu duplex operatio peragitur, & à duplice Rustico reditus perpetui expectantur.

Notandum etiam, Salium magnam differentiam esse, eorumque unum huic, alterum alii labori aptiorem existere; Sed quò majore acrimoniâ Sal pollet, eò potentius Agens etiam existit, adeò ut magni intersit, si quis humidum ignem sive Agens concentrare sciat, de quâ concentratione non opus est; ut hic aliquid memoriæ prodatur, cum hæc in præsentia omninò sufficere arbitrer.

Præterea velim Artis Filius sciat, quod Macrocosmi, sive Oceani Sal, ex quo Spiritum conficere docui, efficaciâ suâ neutiquam respondeat illi, quod ex Microcosmo petitur. Quæcunque enim in Macrocosmo, sive Majore Mundo existunt, eadem quoque in Microcosmo, sive Minore Mundo, i. e. Homine reperiuntur: quâ de re tamen pluribus hîc disserere non institui, eam Deo permittente, fusius tractaturus, si de Majoris Mundi Naturâ, & Signaturâ aliquid scribendum suscepero. Magna enim ex his addisci possunt mysteria; quibus omissis in Sale maneo, & dico, quod ille Sal, qui ex hominis, aut alîus ali-

alicujus animalis Oceano five mari oritur, i. e. ex veficâ excernitur, ad Metallorum tranfmutationem longè aptior fit, quam ille, qui ex Mari, tanquam Magni Animalis veficâ petitur.

Veteres Mundum magnum Animal nuncuparunt, & rectè quidem, cum igneum Cor in centro fuo habeat, quo fe tanquam magnum Animal movet, & fibi vitam confervat, ut alio in loco dicetur, fi Deus permittet; vulgari enim proverbio fertur; Homo proponit, Deus difponit.

In Urina magni momenti arcana occulta latere Morienus non ignoravit, fed apertè fignificavit. Cum enim Regi Calid Tincturam paraffet, vafi continenti hæc infcripfit verba: Qui omnia fecum portat alieno auxilio non indiget. Poftea tacitus ad cellulam fuam fe recipiebat. Anteà vero Regi dixerat: In te Rex eft Medicina, quibus verbis urinam fignificabat. Ex hominis enim lotio fixus poteft confici lapis, qui aliis in locis manifeftabitur.

Sciendum eft hîc etiam, maximum, & verum in Alchymia, i. e. verâ Salis fufione, experimentum & artificium effe, quando Agens five Sal, & patiens, five Metallum itâ penitus conjunguntur, & mifcentur, ut Agens in Patiente difperfum fit, & Patiens tantò plus patiatur, atque itâ illud Patiens metallum eò citius maturetur, & figatur. Grege ovium in ftabulo Lupum adventantem confpiciente, omnes quidem fummo timore percelluntur, fed non omnes mordentur, & laceran-

tur, atque ita pars damnum sentit, pars libera manet. Si verò lupus in Aprico campo oves deprehendit, atque oves longè latèque dissipantur, ut convenire nequaquam possint, graviora certè patiuntur.

Exempli gratiâ: Plumbum Sale emendaturus, sive viâ humidâ per Spiritum Salis, sive viâ siccâ per siccos sales, si Sales ipsos Plumbo radicaliter conjungere non possum, parum efficio; quia plumbum & argentum, nisi singulari ingenio & peritiâ tractentur, Salem & spiritum ejus non ingrediuntur, ac superficietenus patientia diu resistere possunt. Artis autem beneficio radicaliter Sali unita, ita ut à se invicem distingui nequeant, omnibus suis partibus patiuntur, ac moriuntur, quæ mors ipsorum emendatio & vita est. Qui hanc metam attingere cupit, manè surgat oportet, & summam industriam adhibeat, cum pigritia viam eó perveniendi obsepiat. Ipse ego perfectus Artifex non sum, à Deo Omnipotente expectans, quæ futuro tempore mihi largietur, atq; præsentibus contentus vivo: Idem alius etiam faciat. Si autem aliâ ratione Saturnus instar terræ ad Metallicum semen recipiendum & multiplicandum usurpandus erit, non opus est, ut in Salibus solvatur, satiusque fuerit, ut in ipsis tantummodò intumescens, & instar terræ semen sibi mandatum conservans in modicâ humiditate, & Solis calore modico conservetur, qui modus etiam bonus est & commodus ad bonos fructus

Metal-

Metallicos producendos, & quidem etiam auxiliante Sale, ut ſequens Proceſſus monſtrat ſub titulo

Ignis, & Azoth abluunt Latonem.

PHiloſophorum nonnulli ſuum Patiens Latonem, & Agens Azoth appellaverunt. Quod verò ſubjectum Latonis nomine intellexerint, multæ ſunt Authorum opiniones, apud quos legi poſſunt. Plurima pars Saturnum intelligunt, non tamen vulgarem; ſicut & ipſorum Azoth, ſive Acetum diverſimodè etiam accipitur. Sed res ſe habeat, ut velit, non tamen de nihilo eſt, quod multa arcana in vulgari Saturno abſtruſa lateant, ut de ſecretiore Saturno nihil dicam ſi modò ea eruere ſciremus. Omnes Philoſophi autumant, melius in Saturno cor eſſe, quàm in Auro ipſo, eaque de cauſa Plumbum Aurum Leproſum nuncupant, & dicunt, ſi verâ lotione mundari poſſet, magni quid ex eo progreſſurum eſſe. Hâc lotione plurimi multum negotii ſibi faceſſiverunt, nihil aliud tamen conſequuti, quam quod Saturnum in album, fugax, & liquidum corpus deduxerint, de quo labore in hoc tractatu de condimentis Metallicis, & in Tertia Parte Proſperitatis Germaniæ mentionem feci. Meo judicio Saturnus vulgaris commoda eſt terra metallicum aliquod ſemen recipiendi, & ad multiplica-

plicationem deducendi, teste ipso Paracelso dicente, quod Saturnus Terræ comparandus, omnia ad se rapta sibi assimilet, & in terram convertat, in communi nimirum igne, ut Paracelsus hîc intelligendus est.

Sed si Saturno, tanquam commodæ terræ Metallicæ commodum aliquod semen Metallicum mandetur, ac talis terra, taleque semen debitâ aquâ Metallicâ humectentur, ac fructus producenti & vivifico Soli exponantur, terra cum semine propter affusæ Mineralis aquæ humectationem intumescit, ac porosa evadit, aquamque recipit & conservat, ne Sol maturans terram exsiccet, & semen comburat. Quò sæpius autem terra Minerali aquâ humectatur, & Sol eandem humiditatem expellit, eò celerius semen maturescit, & maturitatem suam consequitur.

Sicut enim Agricola frumentum seminaturus talem deligit agrum, qui pinguem & tenacem contineat terram, ut à pluviâ non elui, & nutrimentum semini debitum subtrahi non queat. Semine enim arenæ mandato, parva pluvia arenam, & semen abluendo facile auferre, & crescendi facultatem impedire posset, quod in pingui & tenaci terrâ usu venire non solet. Aqua enim, sive pluvia terram solummodò humectare debet, ut nimis compressa non maneat, sed porosa evadens pluviæ locum det penetrandi ad ipsum semen; quod cum fit, spes est, semen in pingui, & aquâ

tume-

tumeſcente terrâ germinaturum, & fructus ſuos prolaturum.

Pari omninò ratione & Metallica ſemina ſeminanda ſunt, & maturanda. Exempli gratiâ: Eſto nobis communis & vulgaris Satúrnus probè mundatus terrâ illâ, in quam ſeminemus tale ſemen, quod magnam cum Saturno convenientiam habens in ipſo augeri amet, ut fructus proferat. Ac ſicuti Animalis alicujus ſemen animalem matricem agrum, aut terram ad ſui multiplicationem poſtulat, & cum terrâ communi nullam convenientiam habet: Ita etiam Metallicum Semen Metallicam requirit terram, matricem, aut agrum, ubi germinet & multiplicetur. Perinde autem hæc multiplicatio fit, ut in Animalibus; per maris ac fœminæ conjunctionem, illo agentis, & hâc patientis munia obeunte. Periculum facturi in hoc Proceſſu, hîc appoſito, non magnos theſauros conquirendi gratiâ, ſed naturam inveſtigandi & cognoſcendi cauſâ marem ſeminis, & fœminam agri loco ſumemus, & tentabimus, num ſemen multiplicationem admiſſurum ſit.

Eſto nobis vulgaris Saturnus Fœminina matrix, & Antimonium virile ſemen, quod in matricem ſuam inſeremus, ſicut Agricolæ facere conſueverunt. Equidem non contradicam, quod alia, & forſan meliora ſemina, quam Antimonium, Saturno inſerenda reperiantur; Acquieſco tamen hic Antimonio dicto, utpote qui tantum-

modò in animum induxi in præsentia monstrare, quâ viâ videatur Metallicum Semen ex Saturninâ terrâ ad crescendi facultatem deducendum esse; eâque de causâ ad ostendendum hunc laborem Antimonium quippe Saturnini generis Semen masculinum hîc esse volui. Etenim Saturnus vulgaris pro vero Primo Ente Lunæ, & Antimonium pro vero Primo Ente Auri haberi solent, & etiam reipsâ talia esse comperiuntur. Nullum enim sine Argento Plumbum, & nullum etiam sine Auro Antimonium reperias licet, adeò ut mihi firmiter persuadeam ex utroque nil nisi bonum & utile quiddam oriturum, si legitimè eadem componere & tractare sciremus. Ac quamvis me multa scire non profitear, simpliciter tamen sententiam meam declarabo, quâ ratione talem commixtionem & maturationem effectui dandam putem.

Philosophus ità dicit:

Aurum & Argentum nihil efficit,
Si Primum ipsorum Ens non conficit.

Utriusque Prima Entia sunt Plumbum & Antimonium, quorum hoc posterius ad prius tanquam sponsam suam ità impurum planè non est admittendum, sed prius in calido, & acri balneo lixiviali abluendum, ut argenti alborem pulcherrimum consequatur, & instar stellæ in cœlo luceat, quod Antimonium ita purgatum à Paracelso Stella Signata nuncupatur.

Nemo tamen putet, intelligi hîc vulgarem Regulum

gulum Martis Stellatum, qui Spiritu Salis ſolveretur, & à Plumbo ſe ſegregaret, quod non debet fieri: Sed Stella illa ſignata ſic comparata eſſe debet, ut Spiritu Salis ſe ſolvi non patiatur, aliàs huic operi non inſerviet. Inſtar parvarum teſtarum concretus, & adeò durus eſſe debet, ut vitrum ſcindat, ignemque ex ſilice excutiat. Hæc Stella Signata itâ lota in matricem ſuam ſerenda, atque Solis calore, & pluviâ fertili ad creſcendum promovenda & propellenda eſt.

Sic præparati Seminis Maſculini ſive Stellæ Signatæ accipe [A] partes, & Fœminini Generis [B] partes, fac Stella Signata in crucibulo puro fluat, cui liquatæ injice fœminam, quâ injectâ, mox fit ſuavis utriuſque conjunctio & commixtio in calido illo inferno, in quo familiariter coëunt. Maſſa commixta per ſcopas humidas in frigidam aquam ex crucibulo effundenda, & in granula eſt redigenda, atque ſic ſemen maſculinum, ſive maritus, cum terrâ ſive agro aut uxore erit legitimè & debitè mixtus; quæ terra cum ſuo, quod continet, ſemine in firmum vas, quod Spiritus Salis violentam corroſionem non extimeſcit, immittenda eſt, eâ tamen quantitate, ut vix decima vaſis pars eâdem impleatur. Affundenda etiam Aquæ Mineralis, nimirum puri Spiritus Salis, tantum, quantum cucurbita ferre poterit. Igne ſubjecto Spiritus Salis iterum evocandus, quâ operatione de die in diem terra cum incluſo ſemine à Spiritu Salis recreabitur, humecta-

mectabitur, & intumescet, haud aliter ac si terram aliquam siccam, & arentem aquâ perfuderis. Saturnus enim à Spiritu Salis non solvitur, sed tantummodò intumescens in folia abit, integer tamen manens & pulchro, atque pulchrâ albedine splendenti Talco non absimilis; unde etiam Philosophi dicunt: Seminate Aurum nostrum in terram foliatam albam. Proculdubio vulgare Aurum non intellexerunt, aliàs enim non dixissent, Aurum nostrum, sed tantum simpliciter Aurum, si non peculiare Aurum, aut Primum Ens Auri significare voluissent.

NB. Nequaquam intermittere possum, quin hîc hoc moneam, si cui dictæ Stellæ Signatæ parandæ modus ignotus est, ut vulgarem Saturnum aureum particulariter reddere studeat hoc modo, ut sequitur. Ex mineris aut venis, terrisque metallicis fugacibus extrahe per Spiritum Salis Spirituale in ipsis latens Aurum, & à Saturno Spiritum illum Auro imprægnatum abstrahe, qui totus ità recipi, & ad novas Extractiones adhiberi potest. Aurum verò à Spiritu extractum Saturnus imbibit, & auream naturam induit, quem si pluribus ejusmodi extractionibus imbueris, singulis cohobationibus aureitas illa, ut ità dicam accrescet, ipseque Spiritus Salis incrementum sumet.

Si jam Saturnus sufficiente Auro Spirituali imbutus fuerit, per [X] reducendus est, ut Spirituale Aurum Corporale fiat, quod purum se exhibebit, postquam Saturnus per Cupellam expulsus fuerit.

fuerit. Hoc tamen ut facias, necesse non est, cum satius sit, ut Saturnum in granula reducas, & repetitis cohobationibus illis Spiritum Salis quâvis vice Auro illo Spirituali impraegnatum rursus abstrahas, atque ità Saturnum tuum auri copiâ majore locupletes. Ità ditatus in meo secreto crucibulo, quod nec per fumum abire, nec effluere quicquam patitur, per [X] figentem reducatur oportet, quâ reductione Spirituale Aurum, & ipse fugax Saturnus figuntur, ut in Cupellâ magno cum emolumento & Aurum & Argentum inveniantur, labore hoc nullas alias, nisi ipsius ignis impensas requirente. Est verò haec Operatio Separatoria fugacis & fixi Auri ex mineris & lapidibus longè melior quam illa, quae fit per Solutiones Lunae & Saturni, in Tertia Parte Prosperitatis Germaniae prolixè descripta. Etenim hic ad Saturni aut Lunae solutionem Aquâ Forti aut Aceto non indigemus, neque iisdem ad Aurum extractum ex Spiritu Salis eliciendum opus est, sed labore & sumptibus illis liberi, spiritum, qui Aurum extraxit, à Saturno abstrahimus, qui volatile & fixum Aurum, quod in Extractione fuit, attrahendo secum retinet, ità ut ad hunc laborem, quo Extractiones à Saturno abstrahimus, praeter carbones & ignem nihil requiratur. Adde quod lucrosum augmentum quotidiè accedat, ex Sale & Aqua additis, quibus sine sumptu ullo Spiritus Salis quotidie augescit. NB. Quando Spiritus Salis ex addito Sale nimias vires sibi acquirit,

quirit, loco communis, aqua illa adhiberi potest, quâ, post primam extractionem Spiritus Salis, minera elota est. Subacida enim est, & etiam auream naturam habet.

NB. Lauda Dominum, & pauperum ne obliviscere, qui hic sufficienter informaris, & doceris, quo pacto grandes thesauros acquiras.

O quantis beneficiis meos hostes afficio! si homines & non bestiæ essent, fieri non posset, quin à conscientiâ compulsi, & convicti malum omitterent, & ad Deum se converterent. Verum quoniam Satanas ipsorum corda jam penitus occupavit, ut de Conscientiâ planè actum sit, & nec pietas, nec Dei timor ullum amplius locum apud ipsos inveniant, unde quæso, aut quâ ratione ad bonam frugem redirent?

Quæ hîc scribo, eum finem non spectant, ut magnas Auri massas alios conficere doceam, sed tantummodò ipsis viam commonstrem perveniendi ad bonum Medicamentum, & eâdem operâ cognoscendi, & percipiendi, Metallorum emendationem omninò possibilem, & certam esse.

Si quis tantum consequi posset, ut Antimonium & Plumbum, tanquam Auri & Argenti Primum Ens in Solvens quoddam deducere posset, ut unum alterum non præcipitaret, tum demum ingressus esset viam rectam ad magna ducentem, sicuti etiam Aurum & Argentum in uno eodemque menstruo soluta rerum magni momenti

menti principium ſunt. Id propter affirmare auſim, eum, qui Aurum & Argentum, ſive Antimonium, & Plumbum cum Sale in concordiam reducere poteſt, fortiſſimam januam ad magnum theſaurum ducentem aperuiſſe: Tunc enim Patienti uſque ad mortem patiendum, ac moriendum eſt, ex quo mortuo corpore poſteà nova & viva corpora rurſus prodeunt.

Quanquam in meis ſcriptis multoties monui, Aurum, præter combuſtibile Sulphur, nullum majorem habere hoſtem, ac Argento nihil magis inimicum eſſe quàm Salem, & Mercurio nihil infenſius, quàm forte lixivium, perpetuamque inter hæc contraria intercedere tamdiu antipathiam, donec arte & peritiâ in amicos & mutuos complexus ruere cogantur: Non tamen unicuique jactatori loquaci, & ſeſquipedalium verborum ſtrepitu ſe efferenti hoc factu facile erit; propter quod hominum genus etiam tanta arcana tenebris jure ac merito involvuntur, & involvi debent. Porrò ſi Paſſio major requiritur, neceſſe eſt, ut Aurum, & Argentum, tanquam Mas & fœmina ſimul, & non unum aut alterum ſeparatim, patiantur, quò hæc regeneratio eò auguſtior & magnificentior fiat. Exempli gratiâ, Circulum Diametris per crucem ſeca, aut divide, ità ut Diametrorum in crucis puncto medio ſe invicem dividentium extremitates circulum tangant, & quatuor illarum extremitatum una ſuperius, altera inferius conſpiciatur, & cæterarum duarum

una

una ad dextrum altera ad finistrum latus concedat. Aurum repone in suprema extremitate literâ A. signatâ & hostem ejus, Sulphur nimirum in inferiore extremitate, quam litera C. monstrat. Eodem modo Argentum in finistro Solis latere sub litera B. & ipsius hostem Salem in dextro latere D. colloca, & videbis, quam torvè se invicem hi hostes aspiciant. Sol circumspiciens Sulphur capitalem suum hostem sibi ex adverso oppositum, ac Lunam & Salem, illam in finistro, hunc in dextro latere in conspectu habet, ac libenter admodum cum Luna & Sale à latere sibi junctis amicitiam contraheret, si vellent aut etiam possent: Sulphur autem Capitalem suum hostem aspectu suo non dignatur. Luna ad latus Solis constituta non permittit, ut Sal Auro se jungat. Sal, quando adest Auro, impedit, quò minus huic Luna se associet. Penitus autem fieri non potest, ut Sal & Luna simul cum Auro familiaritatem ineant.

Sic etiam cum Luna comparatum est suum Capitalem hostem è regione sibi oppositum habente, ac summo desiderio utriusque suorum vicinorum, Solis & sulphuris familiaritatem ambiente, si tanti inimici non essent, & hanc familiaritatem non recusarent. Si enim Luna Solem adscifcit, Sulphur in societatem venire negat. Si Sulphuri se associat, Solem excludit Sulphuris hostis sui amicitiam aversantem. Multò minus Luna utriusque socia simul esse potest.

Sin

Sin verò Dii volunt, ut hi quatuor hostes capitales unâ societate coëant, & mirabiles ex hâc novâ familiaritate regenerationes oriantur: Vulcano mandant, ut hunc Circulum quatuor istos Hostes Capitales, in quatuor dictis extremitatibus constitutos, se invicem adeò torvè inspicientes, & ex circulo evadere nescientes, complectentem igne calefaciat, & pedetentim suo malleo magis ác magis coarctet, donec omnes quatuor in unam massam coarctati in unum corpus coëant, postcà omnes inimicos conciliandi, & magna efficiendi potestatem obtinens. Ex his facilè quis conjecturam fecerit, quanta in hâc conjunctione passio, & quantæ angustiæ hos inimicos affligant, cum unicuique contrà voluntatem suam cum capitali suo hoste in gratiam redeundum sit. Passiones profectò esse videmus pares nunquam habentes, atque ideò tantas & tàm miras regenerationes in medium producentes. Quicquid parvâ tantum passione agitatur, illud etiam parvam emendationem admittit. Quò major passio, eò major etiam emendatio, adeò ut passio mortem ipsam adducens tantò augustiorem & magnificentiorem regenerationem & resurrectionem secum afferat. Qui in hoc mundo non patitur, ei post resurrectionem suam corona nōn imponetur. Quantò major, & innocentior hujus vitæ passio est, & afflictio, tantò major & pulchrior in altero mundo corona expectatur.

Ac quia Christi Passio omnium maxima, &

innocentissima fuit, etiam maximam cœlorum coronam meruit; Sanctâ suâ morte in cruce nobis Divinam & Humanam suam Naturam repræsentavit, ac significavit, Divinam Circulo sive Coronâ, tanquam divino signo in Sancto suo Capite; & Humanam sanctorum suorum brachiorum & pedum extensione in cruce, tanquam inverso Quadrato Cœlestis Salis signum depingens, accedentibus acerrimo aceto & amarissimo felle, quibus Passio ipsius vehementissimè exacerbata fuit. Necessariò autem hæc omnia contigerunt, ut totum Genus Humanum æternâ morte non periret, sed per ipsum Servatorem conservaretur. Nobis miseris Adami filiis Passio Christi utilis quidem fuit, ipsi verò tantò majores, & horribiliores dolores excitavit. Judas Proditor autem, qui Christum prodidit, & impii Sacerdotes, qui ipsi mortem accelerarunt, ab æternâ pœnâ non immunes manebunt. Quod sic de cæteris etiam intelligendum est.

Quandò pius & innocens homo à latronibus & homicidis cruciatur, aut innocens suis reculis spoliatur, prædâ quidem latrones, fures, & prædones isti fruuntur, & genio indulgent: Illi verò, qui suis bonis orbatus est, tantò plura toleranda sunt, quæ passio & afflictio animæ orbati & spoliati, si patienter suam ærumnam & crucem ferat, nullum damnum inferre possunt, licet corpus intereà eò acerbius affligatur, & crucietur. E contrario Prædonum & Latronum corporibus

in

in hâc temporali vitâ benè eſt, in alterâ autem vitâ animabus ipſorum peſſimè erit.

Uva tamdiu premitur, donec omni ſuo ſucco exuatur, qui ſuccus quidem mortalibus ſuave & jucundum delectamentum affert: Sed uva ipſa, ex qua ſuccus expreſſus eſt, uva eſſe deſinens, ſucci defectu perit, & in nihilum abit. Nobili autem viti Deus hoc dedit, ut quotannis non unam, ſed plures ſimul uvas ferat: Quibus omnibus decerptis, nihilominus ſequenti anno non pauciores, imò ſæpè plures profert, & omni tempore benedicta & fertilis vitis manet, quia radicibus & ramis fertilibus inſtructa eſt. E contrario illi, qui bonum & ſuavem ipſi ſuccum exhauſerunt, ſemper famelici & ſitibundi manent, & quidem ea de cauſa, quia ſuccum nimis recentem & novum ingurgitant unde ipſorum ventres intumeſcunt, & nullo nutrimento fruuntur.

Hoc certum & indubitatum eſt, quod Metallorum corpora patiendo, & moriendo longè auguſtiora & nobiliora evadant. Qui igitur novit, quod Patiens ſuo Agenti ſubjiciendum ſit, & intelligit, quomodò conjungi debeant, nunquam fruſtrà laborabit, ſed laborum ſuorum optata præmia feret.

Quandò Agens Patientis ſuperficiem tantum attingit, & in cor, aut radicem ejus non penetrat, parum profectò effectui dabitur; Excepto eo, quod Agens anteà Aureum redditum etiam ſuo Patienti auream naturam conciliare, idemque ad

aureum gradum perducere, eique Auri perfectionem largiri queat. Per ſe autem emendatio illa tardè progreditur.

Quomodò Salis Spiritus aureâ naturâ imbuendus ſit, ut Patiens ſuum eò citius aurearum virium particeps reddat, jam ante diximus, & ſatis dilucidè demonſtravimus. Qui non intelligit, eidem aliâ ratione opitulari non poſſumus.

NB. Quandò Aquila Jovis miniſter ex rupibus, & ſcopulis coagulatos Solis radios roſtro, & unguibus ſuis eruit, & Jovi affert, hic adeò benignus eſt, ut eoſdem nobis remittat per pluviam tantæ efficaciæ, ut omnes herbæ, in quas incidit, emendentur, ac Martiales, Venereæ, Saturninæ, Lunares & Mercuriales auream Solis naturam induant. Tam efficax eſt Jovis pluvia aurea, ſi Aquila ipſi prius coagulatos radios Solis attulerit.

Ut me quis melius intelligat, & ſciat, quod Metallorum emendatio per ſiccum Agens æquè commodè, imò commodius, quàm per humidum Agens perfici queat, operæpretium duxi ſub nomine Redemptoris Ruſtici Magni Proceſſum ſequentem ſubjungere.

Artis ſtudioſus hoc ſciat, quod Metallorum emendatio per ſiccam viam, ſicci Salis operatione longè facilior ſit, & etiam majori copiâ expediri poſſit, quam humidâ viâ fieri ſolet; & quod ad hanc emendationem nihil aliud requiratur, quàm Sal & Carbones, quæcunque etiam Metalla figenda ſunt.

Exem-

Exémpli gratiâ; Saturnum figere, aut ipsi Argenteam naturam conciliare cupienti plumbo puro non opus est, cum multo minore pretio mineram seu venam ejus habere possit, & quidem ea, quæ fera, aut sylvestris ac sulphurea per fusionem bonum plumbum non expromit, & parvo admodum, imò verò nullo pretio, in quibusdam Germaniæ locis mihi notis copiosè acquiri potest.

Talem Plumbi mineram feram, neque bonum plumbum suppeditantem, neque etiam figulis ad ollas suas vitro obducendas, ob difficilem suum fluxum, inservientem, ad operationem meam eligo, non solum eam ob causam, quod minoris, quàm aliæ tales Plumbi mineræ constet, sed ideò etiam, quod copiosum sulphur, & ad figendum satis commodum gerat. Ejusmodi venam in minutum pulverem redige, Salis tantum admisce, quantum opus erit, Carbonibus injice in tali furno, qualem ad Spiritum Salis copiosè faciendum descripsi; Sale ac Sulphure in Plumbum vehementes vires suas exercentibus, hoc vehementibus doloribus affligitur, ità ut pars ejus cum Salis parte in sublime ascendat, & se recipiat in arcas, aut receptacula eum in finem adaptata: Quâ in sublimatione Sal & Plumbum spiritualiter ascendunt, & contrà voluntatem suam spiritualiter patiuntur, atque ità societatem inire coguntur, in frigidis illis receptaculis quietem invenientes, & unà considentes. Reliquâ mineræ

& Salis partè combustâ, & flores nullos amplius emittente, sed instar cineris per craticulam decidente, novi carbones in fornacem immittuntur, ipsisque nova materia injicitur, ut prius, & labor tamdiu continuatur, quamdiu alicui eum continuare placuerit. Intereà Saturnus longè vehementius affligitur, quàm in humidâ viâ per Spiritum Salis, & si post cameram fumum recipientem, in quâ flores Salis & Plumbi resident, adhuc aliquot receptacula applicata fuerint, copiosus Spiritus Salis etiam recipitur, qui rectificatus in humidâ viâ rursus usurpari potest. Flores ex Camerâ fumum recipiente exempti de novo carbonibus sive prunis in fornace injiciuntur, ut de novo patiantur, & sublimentur. Postquam omnes ità rursus sublimati sunt, denuò ex camerâ eximendi, prunis injiciendi, ac toties iteratis his laboribus affligendi sunt, donec fixi evadentes non amplius adscendant, sed in cineres decidant. Hi eloti salem dabunt ad multas res utilem, & reddentem omnes impensas, quæ in Plumbum, Salem, & carbones insumptæ sunt, adeò ut Spiritus Salis, qui recipitur, & illud, quod à Sale in plumbi minerâ emendatur, nihili constet. Cineres eloti per follem in furno reducuntur, ac toties crucientur, donec bona Argenti pars hâc operatione elaborata est, quam dabit materia elaborata, in focis debitâ separatione purganda; Atque ità habebis Aurum & Argentum beneficio hujus operationis, quâ Magnum Rusticum

ſticum reditus annuos ſolventem manifeſtavimus.

Sicut autem Saturnus hac operatione tractatus eſt; Ita etiam cœtera Metalla tractari ſolent, obſervato tamen Ignis regimine, qui diverſorum Metallorum reſpectu etiam diverſimodè adminiſtrandus eſt. Sic & ipſa commixtio, haud parvi momenti res, probè vult obſervari.

Porrò in hac operatione & hoc attendendum, quod unus Sal ad hunc laborem altero aptior ſit: Quò autem acriorem naturam habent, eò commodiores, & utiliores ſe exhibent. Sic Communis Sal ſublimatus, ut In hoc labore factum eſt, longè fortius operabitur, quam ipſe Sal communis non ſublimatus. Prætereà Sales inveniuntur, qui longè fortius operantur, imò adeò fortiter, ut externi Ignis auxilio neutiquam indigeant, ſed in frigore ipſo etiam ſuos effectus producant. Quorum operationem in viâ humidâ ſi quis externo igne promovere, & confirmare cupit, oleo in lampade incenſo id facere poterit, & carbonum impenſis liberatus, & labore illo frequente exemptus, quo ignis fovendus eſt.

Quidam humidi ignes tantarum ſunt virium, ut nullo igne lampadis opus habeant, utpote quibus parvum filum aureum cum Spiritu ardente ſufficientem calorem ſubminiſtrare poteſt.

Spiritus Ardens ex foliis, gramine, corruptis fructibus, aut frumento, & vinaceis confectus parvorum, aut ferè nullorum eſt ſumptuum.

Ejusmodi verò Spiritus libra una in lampade commoda cum filo aureo per tres, aut quatuor dies calorem satis magnum sufficere potest. Sine aliquo Igne externo Humidus ille Ignis nihilominus suum Metallum, sed longioris temporis spatio, etiam maturat, & commodum suum affert.

Esto itaque quod humidum meum ignem adeò fortem faciam, ut in frigore officio suo fungi queat, & mihi nullo externo igne opus sit; Ignis verò faciendus unius Ducati impensas requiret. Si igitur toto anno alicubi consistens duos Ducatos, aut nummos aureos ex metallo maturato suppeditaret, rerum suarum satageret, ac laborem, & impensas abundè compensaret. Metallo enim nihil planè decedit, nisi illud, quod in Aurum, & Argentum mutatum est.

Cum autem horum vasorum satis multa & grandia reponere possim, omninò dubitandum non est, quin & tantò majus lucrum facturus sim, & quidem vel minimo labore. Nam primò labor parandi Ignem Humidum, cujus vi tribus aut quatuor diebus tantum elaborari potest, quantum ad magnam Metalli partem maturandam sufficit, ferè nullus labor est; Comparandus enim hic Ignis semini, quod antè hyemem terræ mandatum æstivo tempore fructus profert multiplices, & eos demetendos exhibet.

Ac licet hæc maturatio tardè admodum progrediatur, & omnem festinationem excludat;

hoc tamen secum commodi fert, quod hyberno tempore nullum alium laborem requirat, quàm ut semel tantum reponatur, ac Deo & tempori perficienda commendetur.

Varii autem, & diversi sunt frigidi ejusmodi Ignes Metallorum maturationem promoventes, qui etiam ex diversis subjectis erui possunt, nimirum ex Tartaro, urina, cornibus, & capillis animalium, Calce vivâ, fuligine, sanguine animalium, pennis avium, ossibus equorum, boum, & aliorum animalium, ex quibus talis Ignis difficulter admodum paratur, uno eorum, quæ hic enumerata sunt, excepto, ex quo dictus ignis facili negotio, & labore, ac sine sumptibus comparatur. Magnum igitur munus, & singularis gratia est Dei Creatoris nostri, si nos possessores facit ejusmodi Rustici Redemptoris, qui sine sumptibus sustentatus annuos suos reditus largâ solutione expromit. Itaque ipsi pro tanto beneficio indesinentes gratiæ sunt agendæ.

Sed satis multa de humidis & siccis Ignibus Metalla maturantibus verba fecimus. Quam viam quisque voluerit, eam sequi poterit; cum electionem liberam habeat. Errorem si commiserit, ne culpam in me conferat, qui bono animo hos scribendi labores suscepi, & cibum mansum nemini in os inserere possum Divino permissu futurâ æstate nonnullis amicis, Dei miracula ostendam, ut Posteri Deum laudandi, eique gratias agendi occasionem etiam habeant.

Quemadmodum verò communis & vulgaris terra, quandò frequentibus pluviis humectatur, & Solis calore subinde iis liberatur, fertilem salem secum retinet, atque necessariò fertilitatem acquirit: Sic etiam Terra nostra indies non solum bonitatis, sed etiam ponderis incrementa sumit, ac gravior evadit: quod tamen non ità intelligendum, ac si gravitas hæc à Spiritu Salis in porosam terram se insinuante proficiscatur. Nam si dicta Massa tantum octidui spatio in digestione fuisset, & Spiritu Salis eloto nihilominus quartâ parte auctior reperiretur, gravitas quidem illa venit ex Spiritu Salis, ex quo Saturnus aliquid se nutriendi causâ, sicut vulgaris terra ex aquis pluviis, ad se trahit, & fit gravior. Nam si nulla occulta & nitrosa vis in pluviâ esset, parum profectò ad fertilitatem conferret, & si nullum Spirituale & Astrale aurum, aut Spiritualis & Astralis Sol nullus Sali inesset, immatura Metalla maturari non possent. Quò frequentius igitur bonus Spiritus Salis à Saturninâ terrâ, & Saturnino semine abstrahitur, eò citius etiam Semen illud ad maturitatem suam pervenit. Singulis enim vicibus aliquid boni ex Spiritu Salis remanet à terrâ & semine attractum, ex quo emendatio & augmentum oriuntur; sicuti in Vegetabilibus Seminibus videre est, quæ in Terrâ pluviarum auxilio enascuntur, & augentur. Quod hæc fieri possunt, vidi: Materias verò ipsas hactenus ad plenam maturitatem perducere, aut ut rectè dicam, operatio-

rationem totam abſolvere mihi non licuit; Quem periculi faciundi lubido inceſſerit, rem tentare poterit. Si ſucceſſu conatus caruerit, ne mihi culpam imputet, qui neminem perſuaſionibus meis eò adducere molior, ut rei incertæ ſumptus impendat. Hæc enim trado, ut Metallorum natura agnoſcatur, ut & Salium, atque hujus cognitionis ope Philoſophorum Scripta melius intelligantur. Labor enim propoſitus veritatem aſſerit eorum, quæ Philoſophi dicunt; Suam Calcinationem, Dealbationem, Incinerationem, Aſcenſionem, Deſcenſionem, Cohobationem, Incerationem, Deſtillationem, Sublimationem, Volatiliſationem, Maturationem, Fixationem, ſimileſque operationes Chymicas omnes uno vaſe, uno igne, & unâ fornace, ſine ullâ laborum aut vaſorum, aut ignis mutatione perfici poſſe. Maxima enim Secreta, & Arcana ſua Philoſophi parabolicè & ænigmaticè deſcripſerunt, cumprimis Poëtæ, ut Ovidius, Virgilius, & alii plures, admodum difficiles intellectu iis, quibus Metallorum natura non innotuit, quæ cognita & perſpecta Poëtarum intellectum facilem reddit. Poëtis enim ſolenne fuit modo huic, modo illi Metallo, jam hoc, jam aliud nomen imponere; ad quod qui animum non adverterit, ille facilè in errorem delabitur, & ſententiam ipſorum non capit. Exempli gratiâ; Hoc loco Cuprum Venerem appellant, illo Martis uxorem, alio Jovis ſororem & uxorem. Sic Argentum jam

Lunam,

Lunam, mox Dianam, vel Janam, iterum Vestam nuncupant. Apollo ipsis est modò Sol, modò Phœbus, modò Latous, adeò ut hic nominum & appellationum differentia apprimè nota sit oportet iis, qui ex ipsorum Scriptis aliquid addiscere desiderant. Ac quanquam apud Poëtas omnia Metalla pro liberis Saturni habeantur, tamen rursus inter se distinguuntur, ut Saturnus, Jupiter, Venus &c. Vulgare plumbum est Saturnus; sic & Antimonium est Saturnus: Bismuthum, Tutia, Lapis calaminaris, cinerea, flava, alba, & rubra Magnesia Saturni appellatione celebrantur. Marcasita alba & Zincum ex Jovis prosapiâ oriunda censentur. Orichalcum, album & rubrum Cuprum Veneris nomine se produnt. Prout autem Venus imprægnata est, ut album & rubrum Cuprum, pro eo etiam nomen habet: Rubrum Cuprum adhuc Virgo est. Cum igitur Metallorum transmutationem fabularum involucris tectam Poëtæ literis mandarunt, & Saturni, Jovis, Martis ac Veneris mentionem fecerint, fieri uunquam potest, ut is sensum ipsorum assequatur, qui hanc differentiam ignorat. Exemplo sit fabula Dianæ & Apollinis uno partu editorum à Latonâ Jovis concubitu imprægnatâ, & à Zelotypâ Junone in exilium ejectâ, quæ diu persecutionem mordacis Serpentis Pythonis passa, & per cunctas Orbis terrarum regiones fugata, post multos exantlatos labores, & molestias tandem impetuoso mari trajecto se in insulam Ortygiam ad so-

ad sororem suam Asteriam contulit, à quâ recepta fuit, & Dianam, atque Apollinem gemellos peperit.

Hujus Fabulæ sensum quis assequetur, nisi qui Metallorum Naturam probè perspectam habuerit? Imò nemo vel quicquam illorum mysteriorum subolfaciet, nisi similes historias in Metallicis suis laboribus obvias habuerit, utpote tum demum intellecturus, quid Philosophi significare voluerint. Exemplo nobis sunto, duo Metalla inter se convenientia, Jupiter nimirum, & Venus, quæ conjungo, ut fœmina masculino semine imprægnetur. Latonam igitur gravidam factam in exilium ejicio, ut à mordace Serpente Pythone continuis persecutionibus exagitetur, donec per salsum, & impetuosum mare in insulam Ortygiam ad suam sororem Asteriam, in Insula Ortygia habitantem, confugiat, ibidemque pulchram Dianam & Apollinem pariat. Intellectu hæc sunt facilia, si modò in peregrinorum nominum locum genuina reponantur; cujus rei saltem aliquam cognitionem habeo; Sed interpretem perfectum me non profiteor. Aliquid duntaxat ut dicam, intermittere non possum. Venenatus Serpens Python Apollinis cognomentum est, quippe Solis efficaciâ productus, & est corrosivus ille Sal, qui gravidam Latonam per totum terrarum Orbem siccum tamdiu affligit, & cruciat, donec per Mare, id est, fortem illam aquam salsam ad suam sororem, id est; Venerem puram se recipit, se præ-

se præcipitat, & simul Dianam & Apollinem, Jovis fructus, parit. Poëta hîc humidam & siccam viam simul spectat, cum Metallum debito cemento agitatum, & fixum redditum salsâ aquâ maris solvitur, & puræ Laminæ Veneris ipsi itâ soluto imponuntur, adeò ut purum Metallum gravidam suam sororem ad se trahat, unà secum afferentem Aurum & Argentum, quod tàm diu corpore suo occultatum jam manifestat.

Melius quidem est, per cementa figere Metalla, & fugax ipsorum Aurum & Argentum compactum reddere, quod æquè in viâ humidâ per acutas aquas & humidos ignes fieri potest. Sed si legitimè gravida facta Metalla primò per siccum, & fervidum, ac posteà per humidos & frigidos ignes adhuc semel transmittantur, tunc Pluto mundatam animam ex purgatorio ad Neptunum transmittit, à quo in Paradisum avehitur, ubi postmodum ab omni periculo Serpentis venenati tuta & libera manet.

Occasione dictæ Fabulæ & transmutationis Metallorum inferiorum particularis, hoc adhuc monendum est, non quemvis Jovem aptum esse, qui Latonam gravidam reddat, sed eum solum, qui adhuc vivus, efficax, juvenis, & semine plenus Latonam impprægnare possit. Latona enim solum Jovis semen in Insulam Ortygiam secum detulit, & Jovis corpus totum post se reliquit. Præterea hoc animadvertendum, quod Latona primùm Dianam in Veneris, i. e. obstetricis sinu

pepe-

pepererit, ſed Dianam mox poſtquam in lucem edita fuerat, obſtetricis munere functam Apollinem fratrem ſinu ſuo excepiſſe, quod ſatis manifeſtum eſt iis, qui parum ſaltem in Metallis laborarunt. Si enim Apollinis nativitas præceſſiſſet. Venus ipſum ſuſcipere non potuiſſet, ob quam cauſam Diana præcedere debebat, ut eo commodius Apollinem à Latonâ reciperet. Neſcio an ullâ ratione clarius proponi poſſet. Unuſquiſque, cui Metallorum natura cognita eſt, probè novit, quandò Aurum & Argentum in unâ Aqua ſpiritualiter ſoluta ſunt, ſolutionique Auri & Argenti laminæ imponuntur, quod neutrum iſtorum Metallorum illis adhæſurum ſit. Si verò in ejuſmodi balneum Veneris laminæ inſeruntur, Argentum omne quod in aqua fuit, illis ipſis ſe adjuncturum mox videbit. Poſtquam autem Argentum ita præcipitatum Cupro adhæſerit, Aurum quoque ex ſolutione dimiſſum Argento ſe applicabit, de quo labore in Tertia Parte Proſperitatis Germaniæ prolixius egi. Fieri itaque aliter non potuit, quin Latona prius Dianam, & poſteà Apollinem pareret, cum Latonæ Soror Venus ſoli Dianæ naſcenti ſubſidium ferre potuerit: Ideo neceſſe fuit, ut Diana fratri ſuo Apollini, qui aliàs in lucem edi non potuiſſet, opitularetur.

Plura de ſimilibus proferre hîc tempus non patitur; Ea rejicimus, Deo volente, in editionem Operis Saturni docturi, quomodò viliſſima &

abjectiſ-

abjectissima Metalla Salium beneficio maturanda sint, ut particulariter Aurum & Argentum expromant.

Quandoquidem verò augurari non possum, quæ impedimenta Operis Saturni editionem remorari possent, & Saturni in hoc Tractatu aliquoties mentio facta est, nocere neutiquam posse puto, si adhuc aliquid boni adjungatur. Quæ de Saturno hic manifestantur, ea aliis in locis patefacere non est necesse, cum satis Materiæ toti alicui libro de Secretis Saturni conscribendo adhuc supersit, ac tanta sub sordido & vili palliolo Saturni arcana lateant, quæ manifestata omnem imperitorum fidem superarent. Nam non modo Piscator est ex Salso Mari margaritas expiscandi peritus, sed etiam Venator expertus, feram ex viridi fruticeto expellendi, & retibus suis capiendi, ut in antecedente Tertia Parte Prosperitatis Germaniæ diximus: Imò est & Balneator peritiæ singularis, qui suos liberos balneando & eluendo Dianæ & Apollinis pulchritudine exornat. Quandò solus est, soli Apollini & Dianæ suis accidentalibus impuritatibus, & sordibus mundandis inservit, ut naturalem suam pulchritudinem recuperent. Cœtera Metalla balneum ejus nimis acre, & rigidum tolerare nesciunt, ac potius suffocantur & intereunt, quam ut pulchriora, & puriora evadant. Sed si Saturnus se ipsum prius usque ad summam albedinem communis Salis balneo abluerit, tam austerus, &

severus

ſeverus non eſt, ſed liberis ſuis longè tolerabilius apparat balneum, quod ipſorum debilitati, & ægritudini conveniens omnes pulchriores, & puriores reddit. Maxima ipſius virtus conſiſtit in aquâ ejus, quæ Metalla particulariter & univerſaliter omnibus ſuis ſordibus liberat. Particularem experientiam frequenter habui, & quotidiè adhuc, Deo ſit laus, eandem monſtrare, & alios docere poſſum. Univerſaliter tale quid præſtare, & alios informare nequeo, & de tanta re inani jactatione non glorior, quanquam cogitationes meas habeo, quo modo res peragenda eſſet. Imò quò plus mihi de ea conſtaret, eò minus de illa ipſa gloriarer. Maximum certè eſt dedecus gloriari de re, de qua vel minimam cognitionem habeas, aut duntaxat nihil aliud ſcias, quàm quæ ex aliorum Scriptorum lectione hauſeris. Vulgari dicterio nimis mugientes vaccæ minimum lactis reddere dicuntur, id quod veritati conſentaneum, imò veriſſimum ipſa demonſtrat experientia. Chymica ars hodie adeò vulgaris facta eſt, ut ferè quivis poſt unius aut alterius Chymici libelli inſpectionem, licet nunquam manus admoverit, & ipſos Chymicos terminos intelligat, de Univerſalis tamen cognitione efferre ſe mendacio petulanti ſoleat. Quin eò audaciæ nonnullos progredi videas, ut etiam libros de tanto arcano ſcribere, & ejus revelationem aliis promittere audeant, nihil quicquam tamen ſcientes, & ne minima quidem fundamenta habentes, ſed in eâ

tantum cognitione versantes, quæ ex aliis scriptoribus, uti diximus, hausta obscurissimæ rei incertissimam ipsis spem fecit. Qui rerum Metallicarum hospes, & ignarus non est, facile mendaces à veris scriptoribus dignoscere, & judicare potest qui veri sint, & qui à veritate recedant. Qui aliquid sciunt, scientiam suam stentoreis clamoribus non jactitant. E contrario ignorantiæ Fratres illi unicuique arcanissimum illud artis & naturæ miraculum, Universalem puta Medicinam, offerunt, quod verus Philosophus nunquam fecit, aut facturus est. Particulares Metallorum lotiones, purgationes, & emendationes, Aurum & Argentum reddentes, si quis revelet, benè facit, si novit, & talentum suum terra tegere non cupit. Nec tali revelatione ullum cuiquam damnum inferretur, licet vel omnibus hominibus arcana illa particularia innotescerent, & quisque operationes tales effectui dare posset, ex quibus nihil nisi magnum lucrum in omnes terras redundaret. Sed hæc omnia unicuique satis manifestæ, & luculentæ admonitiones esse possunt, ut ab ejusmodi Scriptorum (quid Scriptorum dico? imo collectorum, & descriptorum, qui veteramentariorum more ex veteramentis novos libros consarcinant) libris sibi caveat, iis nullam veritatem continentibus nullam prorsus fidem adhibens, & cogitans, istiusmodi homines non nisi pane lucrandi gratiâ librorum consarcinationi operam dare. Talium hominum nonnullos novi, qui

nullâ

nullâ aliâ ratione ſibi de victu & amictu proſpiciunt, quam venditione falſorum ejuſmodi librorum Philoſophicorum, quos à typographis accipiunt, ut aliis vendant, certum pretium pro labore ſuo, quo venales eos extruſerunt, accipientes. O miſerum Philoſophum, cui tantum non innotuit, ut victum ſuum domi ſuæ quærere poſſit, & eum ſola illa ejuſmodi librorum venditione ſibi comparare cogatur. Hæc admonitionis loco habetote. Si neceſſitas poſtularet, & mihi anſa præberetur, etiam nomina eorum divulgare non vererer, qui ne minimam Naturæ cognitionem habentes nihilominus tamen Univerſalis Magni revelationem & confectionem aliis offerre audent, ac nobiliſſimæ Arti Chymicæ tantam ignominiæ maculam aſpergunt, ut in magnum contemptum abeat, cum tamen nobilior, & præſtantior ars reperiri nequeat. De nemine judicium feram: Magiſtratus tamen eſſet, ejuſmodi grandes Philoſophos examinare, an Magni Univerſalis, de quo tàm mirificè glorientur, ac tanti momenti libros conſcribunt, & alios docendo certiores reddere promittunt, ac ſi Hermetem ipſum cognitione Artis anteirent, reipſâ & de facto periti eſſent; & ſi in Examine ſatisfacerent, Scriptorumque ſuorum veritatem Reali & Verâ Metallorum Emendatione aſſererent, ipſos tanquam raros, & ſingulares Philoſophos, honore debito afficere, defendere & tueri. Sin verò nihil ſcirent, aut ne minimum

quidem præstarent, injustè Magistratus non facturus esset, si ejusmodi homines, alios honestos viros scientiâ & cognitione tantarum rerum præditos, mendacibus calumniis denigrare, & sugillare molientes debitâ pœnâ exciperent, atque ita exemplum statuerent. Bonus hortulanus ex alveario quod in horto suo habet, bonum mel depromere solitus, si in proximo nidum à crabronibus aut fucis alicubi in cavâ arbore constructum esse, & apibus suis mel furtim subtrahi animadvertit, jure ac merito ejusmodi nidum destruit, & ex horto suo fures illos, ac mellis sui raptores exterminat, ut apiculis laboriosis in posterum inferre damnum nullum queant.

Si unus & alter ejusmodi sociorum dicto modo exceptus fuerit, cœteri deterriti haud ita facilè Lapidem Philosophorum, cujus tamen ignorantissimi sunt, scriptis suis fallacibus aliis pollicebuntur. Certum igitur est, Nullum verum Philosophum, si Magni Universalis particeps factus fuerit, omnibus hominibus promiscuè illud oblaturum, & illos, qui plus obliti sunt, quam alii didicerunt, adeò innocentes sine ullâ causâ datâ calumniaturum, & publicè coram toto mundo, læsorum magno incommodo, mendacia fallacissima sparsurum esse. Ex his omnibus in proclivi est unicuique quid de talibus scurris judicandum sit, indicium de seipsis facientibus, ut moneta sono, avis cantu, & vir incessu se[illegible] prodere solent. Avis cantu non bono existente,

nec

nec ipſa certè bona erit. Chriſtus nos docet bonos à malis diſcernere actionibus, & operationibus ipſorum, dicens: *Ex fructibus eorum cognoſcetis eos.* Fructibus non præſentibus, malæ & bonæ arboris diſcrimen non deprehendes. Homines ſi aliquem beneficiis afficiunt, profectò mali eſſe non creduntur: Si contrarium malefaciendo fecerint, qui boni eſſe judicabuntur? Ut plurimum imperiti peritos ideò deſpicatui ducunt, ut illorum ſcientiæ ignorantiam ſuam præferant, ſe ſolos extollant, alios contemnant, ac ſoli in mundo magni fiant, licet ineptiſſimi, & meri aſini ad lyram deprehendantur.

Expertus ac peritus homo tantâ invidiâ, & malitiâ non ardet, aliena contemptui & ludibrio non habet, proprii commodi cauſâ neminem parvi facit; ipſe damno affici mavult, quàm ut alium damno afficiat; Impius è contrario aliis damnum infert, licet vel minimum inde commodum non ferat.

Deus lucem largitur, eamque quærere & colere pii homines ſtudent, quam Satanas cum ſuis aſſeclis exſtinguere molitur, fruſtrà tamen, utpote qui Veritatem opprimere nequit, licet inſaniat & horribili fremitu ei opprimendæ incumbat.

Pietatis ſtudioſus homo neminem lædere cupit, & inimicis ſuis, à quibus læſus eſt, lubenti animo ignoſcit. Malus homo, ſi poteſt, etiam benefactores ſuos lædit.

Bonus vir errare proximum videns, eum amicè

monet, & ad emendationem cohortatur, erroresque amico animo ipsi commonstrat. Homo autem malus mendaciorum figmentis Proximum onerat, quanquam ne minimum ipsi exprobrare novit.

Bonus vir aliquid impedimenti in viâ, quod efficere posset, ut unus aut alter cespitaret, aut caderet, offendens, illud removet. Malus de industriâ laqueis viam obstruit, ac petulanti proposito alicui detrimentum afferre conatur: Casum & detrimentum alterius risu, & cachinnis prosequitur. Bonus verò adversos aliorum casus miseratur.

Malus odio bonum prosequitur: Bonus malum tolerare & pati novit.

Honestus Vir proprium suum os non ferit, sed promissis stare solet. Hypocrita quæ hodiè loquitur, & laudando probat; cras inficiatur, & vituperando improbat.

Honestum virum nominis sui non pudet, quippe qui in uniuscujusque conspectum prodire audet: Ulula sive noctua diem fugitans, nomen suum diffitetur, ac penitus dissimulat, unde venerit, ubi inveniri possit, & quò vadat.

Veritas lucem amat, & tenebras odit; sicutè contrario tenebras mendacium amore complectitur, ac lucem odio prosequitur.

Pauca hæc ad Bonum à Malo distinguendum unumquemque ducunt. Nam ubi Lux est, ibidem & Lucis splendor se offerat necesse est. Ubi

verò

verò illa præſtò non erit, ibidem & tenebras adeſſe oportebit.

Ut ad Propoſitum meum revertar, & adhuc haud exigui momenti arcanum de Saturno hic manifeſtem, ſciendum eſt, quod jam diverſa magna Secreta in hac Quarta, & præcedente Tertia Parte palàm fecerim, ſed obiter tantum, quoniam maximam eorum utilitatem dimidiâ nondum parte attigi, & quæ fieri poſſunt, demonſtrare tantum volui.

Quia verò uſum bonis & acutis armis munivi, & unus & alter aliquando illum caſu inveniens utilitatemque magnam inde percipiens ſe nullo modo mihi devinctum eſſe, arbitrari poſſet, melioris doctrinæ & informationis causâ magni momenti hæc pauca adjungere volui.

In præcedentis Tertiæ, atque hujus ipſius Quartæ Partis locis diverſis Saturni & Lunæ Mercurium parandum docui, i. e. monſtravi, quomodò Saturnus ex Luna & ſuis Solutionibus Salis adminiculo in niveam, fuſilem, fugacem, puram & ſiccam aquam redigi queat, quales aquæ ob fuſibilem, & volatilem ſuam naturam Saturni & Lunæ Mercurii à me nuncupantur, Metallicæ ſunt aquæ manus non madefacientes, aquæ tamen nomen ob formam ſuam gerentes, quia crucibulo injectæ, & parvo igne liquatæ inſtar aquæ fontanæ pellucidæ, & tranſparentes ſunt, adeò ut uſque ad fundum perſpici ſoleant; Saturni tamen aqua Lunæ aquam pellucidâ ſuâ claritate ſuperat.

Quia autem præcipuus noster scopus hîc est, aliquam de usu Saturninæ aquæ mentionem facere, meritò alia missa facimus, & aliquot dictæ aquæ mirabilis virtutes in Metallorum emendatione enarramus.

Artis Studiosus sciat, Saturninam Aquam in Metallis emendandis lavando vires suas exercere. Si enim ipsi imperfectum aliquod Metallum adjungatur, sive ferrum, sive Stannum, sive Cuprum fuerit, & in tali vase retineatur, in quo aqua illa ob fugacitatem suam evanescere, & etiam subtili & penetrante suâ virtute effluere nequeat, atque in ipso vase aliquandiu digeratur, lavacrum hoc Saturninum aggreditur, lavat ac purgat Metallum, illudque in purius & melius Metallum transmutat, non tamen magno cum commodo, cum possibilitatem tantùm ostendat.

Si tamen ipsi nonnullæ tingentes species adjungantur, non solum puram lotionem operatur, sed etiam exaltat & tingit, prout adjunctum Subjectum ad albam aut rubram tincturam tendit. Quales autem illæ Species sint, non necesse est, ut cuivis patefiat. Me aquam & ejus in abluendis Metallis usum patefecisse sufficiat.

Ut autem Balneum Saturninum eò citius, ac lubentius Metalla aggrediatur, & eluat, consultum est, ut Aquæ Mercurialis Lunæ tertia pars Aquæ Mercuriali Saturni addatur, quæ Aquæ promptâ conjunctione coëunt, in lavando sibi mutuas suppetias ferunt, & etiam tingunt secun-

dum

dum proprietatem ejus tincturæ, quæ adjuncta est. Exempli loco modum ſubjungam, & poſſibilitatem rei exhibentem, & ulteriori inveſtigationi anſam præbentem.

Solve in Aquâ Forti unciam unam Argenti puri, & in aliâ tres uncias plumbi vulgaris, ſolutionem utramque confunde, & præcipita vel Aquâ communi ſalsâ, vel Spiritu Salis, quod perinde eſt. Aquâ Forti Coagulum, poſtquam in fundo reſedit, effundendo libera, quod ad hunc laborem aquâ pluviâ non elues, ſed tantum per denſum linteum exprimendo ſuâ humiditate liberabis, atque ità hunc Metallicum caſeum igne ſiccabis, & Balneum habebis Veneris, Martis, & Jovis lotioni admodum aptum. Periculum facturus, an res ſucceſſura ſit, Balneum tuum in tres divide partes, ac tria illa Metalla ſequente modo elue. (NB. Nemo in malam partem rapiet, quod arcanum labrum balneatorium eluendis Metallis inſerviens, & ipſam aquam in fumum abire non patiens hîc ſilentio prætercam; Qui hanc operationem primâ vice tentabit, crucibula adhibere poterit, quæ licet lavacri Saturnini aliquid dimittendo damnum afferant, rei ſucceſſum tamen demonſtrabunt, damnumque illud poſteà debitis mediis præcavebitur.) Modus Balneo prædicto utendi talis eſt.

℞. Limaturæ puri Ferri, Cupri, aut Stanni partem unam, miſce cum tribus partibus noſtri ſicci lavacri, atque materiam hanc ità mixtam

impone vasi terreo vitri densitatem habenti, qualia Siburgi prope Coloniam, Bambergæ in Franconiâ, & Waldenburgi propè Casselas in Hassiâ, aliisque in locis Germaniæ parantur: (NB. Vulgaria vasa & crucibula hanc aquam instar olei penetrantem retinere nequeunt) Vas ita calefac, ut aqua cum metallis probe liquescat, & fluat, quâ liquefactione quidem pars aquæ per fumum abibit, sed jactura hæc facili negotio præveniri potest.

Quandò igitur Metallum per quartam horæ partem ita coctum est, pars ejusdem elota in bonum Argentum conversa reperitur: quod tamen non ità intelligendum, ac si Argentum in ipsâ aquâ per Metallum sit præcipitatum, ac nulla ipsius Metalli pars transmutationem aliquam senserit. Licet enim Argentum illud Aquæ Saturninæ additum per adjunctum Metallum præcipitetur, ac in corpus pristinum redeat, plus tamen Argenti acquiritur quam Aquæ adjectum est. Lavacrum enim illud Saturninum, dum solvendo Metallo occupatur, Argenti adjuncti efficaciâ & operatione Metalli partem altiore gradu exaltat, & tingit.

Quanquàm verò hic labor aureos montes non pollicetur, ac tantummodò hic apponitur, ut ex eo rei possibilitas addiscatur: fieri tamen aliter non potest, si Fermenti Argentei loco Aureum quis huic Aquæ Saturninæ adjungere sciret, quin lucrum, & commodum non contemnendum sit con-

consequuturus. Eadem tamen operatio cum albo fermento ità instituta, ut ne minimum quidem in fumum abire queat, & de lavacro perdatur, damnum nullum inferet.

NB. Neque semper etiam opus est, ut Balneo huic Saturnino purorum Metallorum fermenta adjiciantur, quoniam arbitror Mineralia apta reperiri, quæ aureorum & argenteorum fermentorum loco adhiberi possent: imò etiam puto, huic Saturninæ Aquæ Mercuriali talia subjecta adjungi posse, quæ in ipsâ in albas & rubras tincturas figantur. Rem ipsam nondum tentavi, nec me ipsum tantum Magistrum profiteor, in scribendo unicum hunc Scopum propositum habens, ut Transmutationum studiosis Veritatem ipsam inveniendi viam commonstrem. Cuivis enim rem penitius introspicienti, atque accuratius tentanti facile erit longè majora invenire, imò multò plura, quàm unquam credere potuisset. Talia lavacra mulierum plura, pluresque puerorum lusus in Opere meo Saturni, Deo dante, manifestabuntur.

Saturninum Balneum autem illud siccum multò facilius hoc modo parari potest: Plumbi mineram talem tibi elige, quæ omninò pura & munda neque ferrum, neque cuprum, neque aliud Metallum admixtum habeat. (NB. Argentum admixtum mineræ non obest sed potius prodest: Ipsa verò minera non multum terræ admixtum habere debet, terraque admixta adminiculo aquæ, quâ eluenda, removeri potest.) Mineræ hujus

hujus plumbeæ itâ elotæ pro lubitu, 1, 2, 3. aut plures libræ in fortem cucurbitam indendæ, & totidem libræ Spiritus Salis abstrahendæ, qui Spiritus Salis tanquam humidus & Philosophicus ignis puram Plumbi Mineram, quam ubique & omnibus in locis attingit, in splendidam, niveam, liquatu facilem, & fugacem calcem rediget, probè aquâ eluendam, & siccandam. Hoc est Metallicum illud Balneum, & Aqua illa Veterum sicca, manus non madefaciens, quæ admiranda in Metallis præstare potest.

Ut autem hæc Philosophica, & humida Calcinatio Mineræ Plumbi sine ullis sumptibus absolvi queat, Spiritui Salis in Vesicâ aquæ salsæ aliquantum affundendum erit, ut Sal cum Spiritu ascendat, & eum augeat augmento, quod Mineræ & Ignis impensas sarciens siccum Balneum Saturninum nullis sumptibus constans tibi exhibet, variis modis ad Metallorum lotiones & emendationes adhibendum. Enimverò ex mineris, quæ nondum ignis ustionem subierunt, & crescendi facultate suâ nondum orbatæ sunt, Balneum hoc paratum longè illi præferendum est, quod ex liquato Metallo conficitur.

Artis studioso hîc aperio januam perveniendi ad maxima Secreta, quæ nunquam ab ullo homine adeò clarè manifestata sunt. Ideò necessarium est, ut aut Deus impediat, aut Operator, vel Laborator stupidi & vervecini sit ingenii, si ex his tantum addiscere non valuerit, ut quietè vivens

vens de victu & amictu sibi prospicere sciat.

Si igitur tibi Deus benedictionem suam hujus Arcani adminiculo largitus fuerit, ipsi omnium bonorum datori summas gratias age, & pauperum ne obliviscere: Manuum laboribus vitam tuam sustenta: Fac coràm cœcis lumen tuum luceat, nec illud invidiâ excitatus terrâ obrue: Unicuique benefac, ut animadverti, & cerni possit, qualis tu arbor sis: Nimiam de te opinionem ne concipe, sed memento, te hominem esse, qui errare & labi possis: Nemini ansam litium & jurgiorum præbe: Si injustum bellum tibi infertur, Deo te totum committe, qui tibi auxilio suo succurret. Majori cede, & Minori parce, Deus te tutabitur, & hostes tuos opprimet. Ignorantibus, Calumniantibus, & artis Osoribus Materiam proposui ipsorum Vervecinis càpitibus multum negotii facessituram, & fidem superaturam multorum, quibus verisimile videri nequit, quod tam vilibus, & exiguis modis aliquid boni præstari queat. Omnes risores, & contemptores veritatis sciant oportet, quod ipsorum cogitationes nimis alta sapiant, quæ si humilioribus rebus intentæ essent, longè majora experiundo consequerentur. Omnia enim, quæ bona sunt, exiguum & vilem aspectum præ se ferunt.

Rectâ hîc viâ incedo, & artificioso Pugili curvis suis saltibus & gladiatoriis technis artificiosas ambages ante nasum meum ludenti, & rotam fingenti inter radios ictum impingo, ut capilli de capite ejus devolent.

Apud

Apud Ethnicos Philosophos Propheta Ezechiël Rusticus Philosophus audit, eò quod de Divinis Mysteriis adeò clarè scripsit. Ægrè enim tulerunt, quod invidiâ non flagrans tanta Mysteria silentio non involverit, sed adeò apertè de ipsis scripserit.

Qui hodierno tempore ex Sophisticorum, Philosophorum, nonnisi phaleratis, & seductoriis verbis, propter solum suum proprium commodum, sine ulla utili informatione, libros aliis damnosos consarcinantium turbâ se expedire, illos vincere, & lauream reportare cupiet, Rusticum illum imitabitur, qui Norimbergæ quodam tempore scholam gladiatoriam ingressus, artificioso congressu gladiatores unà tàm strenuè & tamdiu inter se pugnantes cernebat, donec cœteris omnibus fessis, & arenam deserentibus unus & ultimus solus victor existeret, & superbo supercilio cœteros contemnens certissimam, sibi victoriam polliceretur. Pecuniam igitur propositam ac lauream arrepturo, advolavit Rusticus dicens; Præmium non habebis, nisi & me ex arenâ ejeceris: Confligendum igitur cum Rustico Gladiatori, aut præmia relinquenda erant. Victoriam certam sibi pollicens, ut Rusticum mox expediret, artificiosissimas suas gesticulationes, quascunque in scholis gladiatoriis didicerat, expromit, putans se terrorem incussurum Rustico, ut armis depositis arenâ excederet. Interritus Rusticus roboris sui fiduciâ quietè consistebat tamdiu, donec Gladiator appropinquans gesticulationibus suis obli-

obliquis quaſi rotam aliquam ante naſum ipſius formaret, quem tanto ictu in terram proſtravit Ruſticus, ut capilli capitis diffluerent, & ſanguis de capite manaret. Tanti artificii Pugil proſtratus cum à craſſo illo Ruſtico rogaretur, an adhuc ſemel fortunæ aleam tentare vellet, alterum ictum hominis inurbani inurbanum expectare noluit, ac primo congreſſu acquievit, Ruſtico pecuniam, & lauream victoriæ præmia relinquens: qui interrogatus, quî tam exercitatum & artificioſum pugilem aggredi auſus fuiſſet, & ipſum vincere potuiſſet? reſpondit, Pugilem obliquis ſaltibus uti, & viribus præditum non eſſe videns, robur meum ipſius ſeductoriis & artificioſis ſaltibus oppoſui, atque ità uno ictu hominem proſtravi. Ex hac hiſtoriâ liquet, phaleratum & Sophiſticum illum garritum Scholarum nihil ad rem facere, ſed certam experientiam, & infallibilem rerum cognitionem ſolam Magiſtram eſſe & manere.

In gratiam eorum, qui Divinorum & Naturalium miraculorum ſtudioſi ſunt, manifeſtare me oportet adhuc Salis ſecreta quædam hactenus omninò ignota, & in Laboratorio meo Amicis oſtendenda. Nullum verò mihi dubium eſt, paucos inventum iri, quibus hæc intellectu facilia, & creditu veriſimilia futura ſint; Sed nihil meâ refert, ſive fidem adhibeant, ſive mihi veritatem dicenti credere nolint. Mihi ſufficit, quod, quæ dico, non ſolum præſtare, ſed eadem etiam amicis oſtendere queam, ut commodum & utilitatem aliquam ex ipſis percipere poſſint.

Sed ità ignis operâ commutari poteſt, ut acribus ſuis proprietatibus amiſſis ſuavitatem & dulcedinem acquirat, atque aliorum Vegetabilium, & aquæ auxilio in fermentationem deducatur, reddens ità bonum & ſuavem ſpiritum ardentem, claram, ſuavem, & fortem cereviſiam albam, per aliquot annos ſaporem ſuum conſervantem, varios potus ex melle, & fructibus arborum, ſapore vino non diſſimiles, forte & clarum acetum, & album Tartarum ad operationes, in qnibus vulgaris ille & naturalis vini Tartarus adhiberi ſolet, æquè commodum, quicum cœteris illis paucarum impenſarum inſumptione parari poteſt.

Aër & Ignis Salem brevi tempore in verum & naturalem Salempetræ tranſmutant, haud exiguum commodum afferentem.

Ignis etiam facile admodum ejuſmodi proprietatibus Salem communem dotat, ut agros non ſatis pingues, ut & vites, arbores frugiferas, lupulum, & hortenſes herbas cœteras æquè ac pecudum & pecorum fimeta ſtercorare & pinguefacere valeat.

Paucarum horarum ſpatio Sal quoque per ignem ità mutatur, ut magneticam naturam induens humiditatem, & aquam ex aëre attrahat, & diu apud ſe retineat, ideòque à Sole non facilè exſiccetur. Frumentum, ut avena, hordeum, ſiligo, triticum, piſa, fabæ, aliaque ſemina per noctem ejuſmodi ſale macerata celeriter creſcendo ex terrâ exſurgunt. Utilis itaque eſt æſtivo tempore, quod

quod pluviarum inopiâ laborat, ac cumprimis agris arenosis, quia aquam pluviam diu servat, ut à Sole haud ità facilè exsiccando subtrahatur. Est etiam Sal iste adeò attrahentium virium, ut ejus uncia una in parvo aliquo vitro duabus aquæ unciis addita, omnem hanc aquam induret sali similem, ut in chartâ circumferri possit, cum tamen una salis & duæ partes aquæ fuerint.

Hic Sal multis adhuc aliis virtutibus mirabilibus pollet, quarum nonnullas in meo Tractatu de Naturâ Salium enarravi, illum Salis Mirabilis nomine insigniens, & quidem non injuriâ. Formâ Salempetræ refert, atque omni acrimoniâ carent parvæ amaritudinis sapore linguam ferit, balsamicamque naturam obtinet. Bubulæ enim aut alii alicui carni affrictus impedit, quominus ea, etiam aëri exposita, à vermibus infestetur, & corrumpatur. Hinc efficax est Subjectum, quo tanquam Balsamo aliquo efficacissimo corpora mortua à corruptione conservantur. Cuncta sibi imposita longi temporis progressu in durum lapidem convertit, & multis aliis viribus mirabilibus pollet, quas certis de causis silentio nunc prætereundas censeo. Paracelsus Salem enixum nuncupat, ego mirabilem appello.

Nemini mirum videri debet, quod vulgaris Sal adeò facilè meliorem & dulciorem qualitatem ignis operatione nanciscatur. Revera assero, non solum vulgarem illum Salem Culinarium, sed etiam illos, qui maximâ suâ corrosione mordacissimi

ciſſimi ſunt, ut Aqua Fortis, Aqua Regis, Oleum Salis, Sulphuris, & Vitrioli, ſine additione alicujus Salis contrarii, per quodvis Vegetabile dulce, trium horarum intervallo, eò deduci poſſe, ut ne minimam quidem in ipſis vim corroſivam quis deprehenſurus ſit. Imò ſi hic ipſe Sal Metalla ſolvit, eadem non dimittit, ſed retinet; ità ut ex curroſivâ Solutione Auri, quod oleum Salis ſolvit, dulcis liquor exiſtat, quod & in Argenti & aliorum Metallorum ſolutionibus uſu venit, adeò ut facillimè hâc viâ ex Metallis optima medicamenta parari poſſint.

Nova vina tali Sale fermentata Tartarum ſuum in dulce vinum mutant, quatuor ſeptimanarum ſpatio clara fiunt, & mox eundem, quem vetera vina, ſaporem & odorem habent. Magni momenti profectò eſt Secretum, quando ob frigidiorem aërem ad debitam maturitatem vina pervenire nequeunt. NB. Ad hanc fermentationem pertinet ſingulare & excellens artificium, quo vina cæterique potus ad celerem fortemque fermentationem promoventur, ita ut vinum in dolio ebulliat, licet dolium frigidiſſimo hyemis tempore inter nivem & glaciem repoſitum eſſet: Unde neceſſariò vina meliora fortiora, & ſuaviora fieri debent. Artificioſa admodum eſt inventio hactenus à me occultata, quam amicis jam tradere in animum induxi.

Eodem ſale etiam Vinum, Cereviſia, hydromel aliique potus brevi tempore, ſine Solis adjumen-

jumento, aut calidi Hypocausti auxilio in bonum & acidum acetum mutari possunt.

Si quis ergo laboribus suis occupatus Aceto Distillato indigeret, in ligneis doliis, sine ulla ignis scintillâ, solo aëre, per propriam ipsorum liquorum efficaciam, aërisque auxilium ipsos destillare posset, & ità quidem, ut totum aceti distillati dolium ne uno quidem nummo constaret, ipsis vasis aut doliis exceptis, quæ profectò artificiosissima est destillatio.

Sic etiam hoc modo ex cerevisiâ, vino, aliisq; similibus suavem Spiritũ ardentem distillare poterit.

Quodvis vinum vulgare dulcis alicujus Salis & artificiosæ fermentationis auxilio adeò forte redditur, ut ob nimiam suam fortitudinem bibi nequeat. Ejus aliquot canthari pleni duntaxat in dolium tenui vino repletum infusi hoc idem vinum ità corroborabunt, ut juxta cum generoso vino in eodem censu habendum sit. Qui voluerit, additis in Fermentatione aliquot, suavibus speciebus idem suavius, efficacius & salubrius reddet, ejusdemque paucâ quantitate in aliud dolium infusâ, omni isti, quod continet, vino suavitatem, & bonitatem conciliabit.

Ex vulgari Sale bonum Alumen & Vitriolum facili negotio parabitur, tinctoribus non minus utilia, quàm naturalia esse solent.

Facilè item factu est, & quidem paucarum horarum spatio, ut in igneam naturam mutatus eandem cum Sale ex lignorum cineribus, vini fecibus

ustis, similibusque parato, vel cum cineribus clavellatis naturam obtineat, & smegnatis coctoribus inserviat, iisdemque quibus illi Sales, usibus adhibeatur.

Porro paucis sumptibus suavis, & copiosus ex Vulgari Sale Spiritus elicitur, non solum ad paranda multa medicamenta præstantia, sed etiam ad minorum & immaturorum Metallorum maturationem usurpandus, sicut antea dictum est.

Hæc & similia mirabilia, imo imperitis incredibilia effecta quamplurima summo cum Humani generis commodo, & utilitate abjectus ille, & vulgaris Sal producit, quæ in Dei omnium bonorum datoris honorem, atque humani Generis gratiam & emolumentum diutius reticere neque volui neque potui.

Objiceret hic aliquis, & diceret; Si communis Salis ope tanta præstari possunt, cur Salipetræ eum non præfers, quem in Tertia Parte Prosperitatis Germaniæ tantis laudibus extulisti, & quasi Monarcham Mundi totius constituisti, cum tamen adeo venenatus sit Draco, qui omnia deglutire solet? Num hi duo Sales, vulgaris nimirum & Salpetræ, mundi dominio inter se diviso, simul dominari, & imperare non possunt?

Huic respondeo, quanquam multorum mirabilium effectorum productor est Sal ille vulgaris, cedere tamen cogitur Salipetræ, qui inflammatus & ardens ingentes montes evertere, & in auras displodere solet, quod cum Sal communis præ-

stare

ſtare non queat, æquum eſt, ut tanto titulo non inſigniatur. Ignis tamen & Aëris operatione Salipetræ æqualis factus, & eadẽ præſtans eodem etiam Monarchæ titulo cum Salepetræ decorandus eſt.

Quæ Sali Communi, & Salipetræ attribui, ut veriſſima ſingulis horis reipſâ oſtendere poſſum. Malè igitur faciunt, qui mihi dicenti, Salempetræ Univerſale Solvens eſſe, oblatrare, & convitiis ſuis garrulis veritati obſtrepere conantur.

Cur non melius quid in apertum producunt, quando hoc Solvens Univerſale admittere nolunt? Tales homines nihil aliud efficiunt, quàm ut ſuam ſtultitiam patefaciant, & contra ſtimulum calcitrent.

Si aliquid ſaltem feciſſent, ac naturæ perveſtigandæ cauſâ in manus ſumpſiſſent, tam audacter non contemnerent, & reprobarent id, quod intellectu ſuo nondum perceperunt. Nimis turpiter ſe dant, & coràm omnibus hominibus patefaciunt, quod ex ſolâ auditione & lectione incertorum, & dubiorum Scriptorum, quorum ſenſum tamen non capiunt, incertas & ineptas ſuas opiniones hauſerint. In meâ opinione conſtans maneo, & dico, Salempetræ Solvens Univerſale eſſe, omneſque res in toto mundo eodem ſolvi poſſe, ſi in tribus formis aut ſpeciebus uſurpetur. Quicquid Spiritus ejus Acidus, ſive Aquila acutis ſuis unguibus præſtare nequit, illud efficiet fixus ipſius Sal, ſive Leo Igneus; & quicquid his duobus factu impoſſibile eſt, illud Grypho ex Aquila & Leone

oriundus artificiose perficiet. NB. Spiritus Acidus Nitri Sulphurea Subjecta non solvit, sed tantum Mercurialia : E contrario Fixum Nitrum non Mercurialia, sed Sulphurea Subjecta aggreditur: Salispetræ verò flamma utrumque præstat: quod profectò est mirabile, quod ex uno eodem subjecto aliquot horarum intervallo tam dissimiles res eliciantur. Etenim ex Salepetræ per destillationem Spiritus Corrosivus, ac etiam Sal fixus parati inimicissimi inter se sunt hostes, qui in mutuam cædem ruentes, & mortui redeunt ad id, quod anteà, utriusque Naturæ participem, quod Veteres Philosophi nobis apertè significant Gryphone Aquilæ caput & alas, ac Leonis corpus posterius habente, ut in præcedente Tertiâ Parte Prosperitatis Germaniæ pluribus meminimus.

Eum, qui hanc Veterem de Gryphone, Leone, & Aquilâ Fabulam rectè intelligit, Sol illustrat, haud exiguam utilitatem sibi inde acquisiturum. Quicquid Aquila corrosiva solvit & dilacerat, illud fixus, & igneus Leo præcipitat; Ac quicquid Leo deglutit, illud ipsi Aquila rursus eripit, mutuâ tamen cæde se conficientes, ex quorum corporibus mortuis existit Grypho, qui Aquilæ & Leonis corpus habet. Quantò sæpius hic labor iteratur, tantò major potentior, & fortior Grypho evadit, si prius cum Aquilâ, tum Leo vili cibo se saturaverint, & pinguefacti fuerint: Aut quantâ magnitudine Aquila & Leo antè pugnandum ex subjectis sibi aptis & commodis accreve-

creverint, tantæ magnitudinis incrementa Grypho etiam ſumit. Semel igitur quotidie talis pugna, cædes, revificatio, & horum duorum pugnantium atque capitalium hoſtium Aquilæ & Leonis in Gryphonem tranſmutatio fieri poteſt. Quod ſi commodum afferre debet, Vulcanus Saturni falcem acuat neceſſe eſt, quâ Gryphonem dividat, & quicquid ab Aquilâ profectum eſt, rurſus in Aquilam convertat, ac quæ à Leone orta ſunt, iterum in Leonem tranſmutet. Quando imperium Gryphonis diviſum eſt, & Aquila ſolis ſuis avibus, ac Leo ſolis ſuis animalibus, ut Reges imperant, res bene ſe habent, & nuſquam bellum viget. Si verò Aquila Leoni ſuam prædam eripere conatur, magnum oritur prælium, ac tamdiu durat, donec mutuâ cæde interfecti fuerint; ex quorum corporibus Dii Gryphonem componunt. Cum autem Grypho nimio faſtu elatus Tyrannidem affectat, ac ſimul avibus & animalibus imperitare molitur, ſenis Saturni ſuaſu à Vulcano iterum dividitur, ut iteratâ tranſmutatione in Aquilam & Leonem redeat: quæ reciprocæ tranſmutationis rota nunquam quieſcit, ſed in hominum pœnam perpetuo curſu ſe convertit, quamdiu Deo altiſſimo placuerit, qui tandem omnis pugnæ, cædis & contentionis hunc terrarum Orbem affligentium finem faciet, quo tempore omnes Aquilæ, & Leones, qui in Mundo unquam fuêre, in magnum mutabuntur Gryphonem, qui totum Orbem dilacerabit, & evertet.

Tempus hoc summo desiderio, & multis gemitibus expectant omnes pii animi, ut tandem ex Aquilarum omnia dilacerantium unguibus, & Leonum rugientium rictibus liberati æternâ pace & quiete fruantur.

Hæc de Salepetræ hâc vice sufficiant, qui quo pacto copiosè ex Vegetabilium, Animalium, & Mineralium Salibus magno cum commodo parandus sit, in antecedente Tertiâ Parte Prosperitatis Germaniæ jam indicavi. Qui suâ referre putat, ut eo ipso commodum & lucrum sibi paret, rem accuratiore meditatione, & investigatione inquirat. Animadvertet autem, quod ex multis vilibus, & ubique parabilibus subjectis Salpetræ facili negotio confici possit: Cujus si copiam habuerit, cæterarum rerum inopiâ non laborabit. Siquidem ex Salepetræ non modò præstantissima medicamenta contra omnis generis morbos confici possunt, sicut & frugum ex terrâ nascentium, ut frumenti, vini, similiumque ad sustentationem hominis necessariarum rerum crescendi facultas promoveri potest: Sed etiam purum putum Aurum summo cum emolumento ex imperfectis Metallis admodum facilè acquiritur.

Quando igitur homini ejus operâ valetudo firma, victus & amictus, atque aurum & argentum suppetunt, quâ re quæso amplius indigebit? Id quod toties dixi, hîc repeto, & affirmo. Nullum Subjectum in toto mundo, quoad virtutes, cum Salepetræ conferendum esse, tantum abest, ut ipsi præponi debeat. Tam

Tam nobile idcirco, imò tam regium Subjectum jure ac meritò in honore summo habeamus, ipsique omni conatu inhiemus, ob tanta emolumenta, quæ Generi Humano largitur. Pronunciemus, & proclamemus Salempetræ Monarcham totius Mundi, & rumpantur ilia omnibus suis & meis Inimicis, qui nostrum honorem infamiæ maculis conspergere moliuntur.

In quanto, proh dolor! contemptu versatur hic potentissimus Monarcha Mundi, cum cultoribus suis apud stultos & mente captos homines, qui ipsius internam vim, potentiam, & efficaciam minimè cognitam, & perspectam habent! Forsan ideò, quia in stabulis natus ad tàm vilem ortum genus suum refert: nec mirum, Ipse omnium cœlorum, & totius Universi Monarcha Christus Jesus à Pharisæis pro Messia neque agnitus, neque habitus est, quia non in regio aliquo palatio, sed in stabulo in lucem editus apud ipsos fidem non invenit, quod miserum Genus Humanum ex miseriâ suâ liberaturus esset. Sed hoc apud Mortales in more positum est, ut etiam res vilissimas, si modo speciem externam, & spectabilem præ se ferant, honorent & venerentur, & è contrario res quantumvis præciosas vili pendant & ludibrio habeant, si vili specie & habitu in publicum prodeant. Sic Mundus vult decipi, & in cœcitate ac tenebris suis manere, licet in ipsius Solis Meridiani splendore clarissimo versetur.

O stultissimi homines, quàm irrita spe exspe-

ctatis Leonem, & Monarcham ex Septentrione; sicut Judæi suum Messiam, qui ante mille sexcentos, & quod excurrit, annos venit. Leo ex Septentrione & Mundi Monarcha jam adest, & semper adfuit, hactenus tamen à paucis agnitus, cujus plenam & perfectam revelationem solus Deus novit. Equidem tempus jam adesse puto: Quæ de ipso nobis innotuerunt, cuncta sunt particularia, & admodum pauca. Si vero dictus Leo Septentrionalis thesauros, qui in montibus occulti latent, inveniet, & effodiet, tum demum potentiam suam spectandam exhibebit, & se Mundi Monarcham ostendet.

Salpetræ est magnus ille, & Ignivomus Draco, auriferæ pomi custos, & venenatus Basiliscus, qui aspectu suo cuncta occidit. Si figitur & in igne constans redditur, est Salamandra illa in igne vivens, & Solis illa avis Phœnix, quæ purum Aurum ex arenâ conquisitum, & collectum ad nidum suum conficiendum adhibet, & ad extremam senectutem perveniens se ipsam comburit, ex cujus cineribus aliæ Phœnices enascuntur.

Qui de Gryphione, Phœnice, Dracone, Basilisco, & Salamandra auro maximè inhiantibus, illudque ex terrâ effodientibus, & custodientibus, plura nosse cupit, Plinium, aliosque rerum naturalium Scriptores veteres, ut & Ambrosii Calepini Dictionarium octo linguarum, & postremæ editionis consulat.

CON-

CONCLUSIO.

HÆc ſunt, Benevole Lector, quæ in Patriæ commodum hâc vice in lucem edere volui: Si per tempus & occaſionem mihi licuiſſet, plura utilia, & haud parvi momenti ſecreta addidiſſem. Si hæc grata fore animadvertero, appendice ſubjunctâ, quæ hic loca obſcuriora occurrunt, dilucidius, & clarius interpretabor. Figuræ æneæ ad has quatuor Partes Proſperitatis Germaniæ pertinentes ob temporis anguſtias hac vice adjungi non potuerunt: Ut tamen toti huic opuſculo quadripartito nihil plane deſit, cum Appendice, ſi Deo placuerit, proximè ſequentur. Indicabit etiam ſimul hæc ipſa Appendix, quantum ex quatuor Proſperitatis Germaniæ partibus commodum Patriæ expectandum ſit. Certum omnino eſt, ſi hujus meæ doctrinæ & inſtitutionis ratio habebitur, ut ea, quæ trado effectui dentur, quod Germaniæ nullus inimicus, aut hoſtis, quantuſcunque etiam fuerit, metuendus erit. In eâ enim Patriâ noſtrâ infiniti Metallorum Theſauri, mortalium nemini utilitatem aliquam parientes, occulti jacent. Equidem publicæ utilitati non decero, ſed lubens manifeſtabo artes effodiendis ejuſmodi theſauris utiles, ut Patriæ communis commodo inſerviant. Illa, quæ ad effodiendos eoſdem theſauros requiruntur, ubique inſigni copiâ ſe offerunt, ita ut hic nihil niſi manus & labor deſint.

desint. Si Deus hominum corda singulari ratione non induraverit, & excœcaverit, fieri neutiquam potest, quin periculosa illa tempora, quæ sensim ac pedetentim adrepunt, certius animadvertantur, & res à quovis ita instituantur, ut necessitate ingruente habeat, cui se committere possit. Paci profectò præsenti nulla ratione confidendum est, quippe quæ unâ nocte everti potest. Stramen juxta ignem jacet; parvus ventus si scintillulam afflaverit, grande incendium facile excitat: Ideò prudenter facit, qui in tempore sibi cavet. Fallax Securitas ubique nimis viget. Pastor edit, bibit, cantat, & fistula canit: Canes ad saturitatem cibo oppleti, jacent, & dormiunt: Oves tripudiant, frontem exporrigunt, & nihil minus quam de lupo cogitant. Deo soli notum est, quid facere velit. Unicuique orandum, vigilandum, & securitas missa facienda est; aliàs pœnitentia nimis sero veniet, & sera erit infundo parsimonia.

NB. Benevolus Lector hic sciat velim, quanquam has Quatuor partes Prosperitatis Germaniæ satis dilucidè præ cæteris conscripsi, me tamen mihi ipsi & Amicis meis apud omnes Processus, & Operandi Modos aliquid reservasse, ita ut Salispetræ præparationes, ejusque multiplicem in auro & argento extrahendis ex mineris, & in imperfectis Metallis emendandis, atque in aurum & argentum transmutandis usum multo facilius, & comprehendiosius, ac longè minoribus sumptibus effectui dare sciam. Quæ scripsi, unicuique

& ami-

& amicis pariter, & inimicis ſcripſi: Alia & meliora mihi & amicis meis reſervavi. Deo volente hoc jam potiſſima mihi cura erit, ut Figuræ quam primum etiam in lucem prodeant, & Laboratorium meum, in quo Amicis rei totius veritas oſtendatur, in promptu, & paratum ſit. Interea Principes & Magnates, in quorum ditionibus ejus modi theſauri Metallici ſe offerunt, & communis fuſionis auxilio elici nequeunt, deliberare poterunt, an his meis artificioſis, & non vulgaribus operationibus in extrahendo auro & argento ex auriferis ejuſmodi Subjectis per Salem, & Salempetræ uti conſultum ipſis videatur. Si operæpretium ipſis videbitur, in commodum ſuarum regionum ejuſmodi operationes inſtituere, Perſonam aptam, & ignis tractandi cognitionem habentem, ac taciturnam cum bona inſtructione ad me ablegare poterunt, quæ in meo Laboratorio opus ipſum addiſcat.

Qui verò loca ejuſmodi mineras auriferas non continentia poſſident, & nihilominus earum ex vicinis locis copiam nanciſci poſſunt ac deſiderio tenentur, eaſdem emendandi, & incommodum ſuum adhibendi, iis, pro ratione tamen perſonarum, artem monſtrare & patefacere non negamus, nimirum artificioſam illam, & humidam extractionem volatilis & fixi auri non ſolum ex mineris, lapidibus, arena, & limo, ſed etiam ex ipſis jam fuſis Metallis, ut Plumbo, Stanno, Ferro, & cupro, in quibus ſæpè multum auri & argenti occulitur,

culitur, quod se communi igne fusorio extrahi non patitur, per maturationem verò & separationem à Sale & Salepetræ effectam facilè extrahitur, & ad publicum usum adhibetur. Horum omnium Amicos participes facere non gravabimur, ut & aliarum rararum, & omnis generis hominibus, nullis exceptis, utilium & artificiosarum Inventionum, quæ Patriæ multum commodi allaturæ in meo Laboratorio publicè & privatim Amicis ostendetur: hâc tamen conditione, si dicti Amici pollicitatione fideli me securum reddiderint, quod ea, quæ apud me videbunt, & discent, fideli silentio tecturi, ac in solius Dei honorem, ægrorum solatium, pauperum viduarum & orphanorum auxilium, & veritatis defensionem, non verò ad Diabolicum fastum, & detestandam superbiam, aliasque vanitates usurpaturi sint.

F I N I S.

